—00 # 430 ...

Auguralia.

LIBRORUM

DE

DISCIPLINA AUGURALI

ANTE AUGUSTI MORTEM SCRIPTORUM

RELIQUIAE.

(PARS I.)

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRANCISCUS ALBERTUS BRAUSE,

SAXO.

LIPSIAE,

MDCCCLXXV.

Compendiis scripturae usus sum hisce:

M. E. = Die Etrusker. Vier Bücher von K. O. Mueller. Breslau 1828.

B. M. = Handbuch der römischen Alterthümer. 2. Theil von A. W. Becker. Leipzig 1844.
4. Theil von J. Marquardt. Leipzig 1856.

R. M. = Untersuchungen über die römische Verfassung und Geschichte von J. Rubino. Cassel 1839.

L. L. H. = Römische Alterthümer von L. Lange. 2. ed. 1863. (3. Band 1871.)

M. R. S. = Römisches Staatsrecht von Th. Mommsen.

Apud omnes fere gentes antiquis temporibus ea opinio obtinebat ut certis quibusdam signis atque ostentis voluntatem deorum immortalium se investigare posse atque explorare persuasum haberent ‚gentem quidem nullam, inquit Cicero (de div. I, 1. 2.) video neque tam humanam atque doctam neque tam immanem tamque barbaram quae non significari futura et a quibusdam intellegi praedicique posse censeat'. Recenset deinceps Assyrios praecipueque Chaldaeos Aegyptios Cilices Pisidas Pamphylios [1]) quos partim siderum traiectiones motusque partim avium volatus cantusque ut certissima signa rerum futurarum observitavisse memoriae tradit. His adnumerandi sunt Cares [2]) unde Plinio teste Graeci originem disciplinae auguralis traxisse videntur. Neque vero nostri maiores hoc loco praetereundi sunt quos ex avium involatu rerum futurarum eventus interpretatos esse testis est Ammianus Marcellinus et huius saeculi opiniones superstites demonstrant. Ut praeteream Persas atque Gallos [3]) pergo ad Graecos qui ut alia omittam cum ex avium involatu [4]) tum ex caeli fulguribus atque fragoribus futura nosci posse arbitrabantur. Longum est singula adferre exempla sed illud praetereundum esse non puto magnam in hoc genere intercedere similitudinem inter Graecos et Italos homines ita ut ea opinio in comparando usu utriusque nationis oboriatur necesse sit a communi fonte hunc usum esse derivandum in

1) Lycios adicit de div. I, 15. 25. — 2) Plin. nat. hist. VII, 56 (57). — 3) cf. Cic. de div. I, 41. — 4) cf. od. I, v. 202.

eaque tempora referendum quibus nondum Graeci et Itali populi separati erant. Unum solum exemplum proferre liceat quo eius usus communis origo demonstretur. In fragmentis librorum auguralium de quibus deinceps accuratius agendum erit, hoc praeceptum exstat: ,Ioye tonante fulgurante comitia populi habere nefas' (Cic. de div. II, 18. 42.). Prorsus idem praeceptum in comitiis Graecorum valuisse apparet ex Aristophanis Acharn. v. 155 sqq. Mitch. cf. Pollucis onom. VIII, 124. et Schömannum antiquit. 148. Dicat autem fortasse quispiam tale praeceptum inde a Graecorum comitiis ad Romanorum libros augurales pervenire potuisse verbi causa decemvirorum temporibus, quibus quidem tresviri Athenas missi iussique sint inclitas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatium instituta mores iuraque noscere (Liv. III, 31.). Attamen vero disciplina auguralis apud Romanos multo vetustior esse et a scriptoribus traditur et ex ipsius indole atque natura evincitur quam ut tam sero id genus praecepta a Graecis sumpta esse concedere possimus. Mea quidem sententia eiusmodi praeceptam eis temporibus attribuendum est quibus, ut quamvis barbare attamen breviter loquar, Graeco-Itali in ea conciliabula convenire solebant quorum rationem etiamsi extremis lineis adumbrare conatus est Mommsenus in H. R.[5] vol. I, pag. 26 in hunc modum: ,die Gesetze des Königs Italus, die noch in Aristoteles Zeiten angewendet wurden, mögen diese beiden Nationen wesentlich gemeinsamen Institutionen bezeichnen. Frieden und Rechtsfolge innerhalb der Gemeinde, Kriegsstand und Kriegsrecht nach aussen, ein Regiment des Stammhauptes, ein Rath der Alten, Versammlungen der waffenfähigen Freien müssen in denselben enthalten gewesen sein.' Quamquam notandum est non ad amussim utriusque nationis usum sibi respondere, quinimmo interdum etiam palam sibi adversari. Namque ut exemplum afferam, in avibus fulguribusque observandis cum Graeci dextras pro felicioribus atque faustioribus haberent[1])

1) Od. ο. v. 160; υν. 242. Xen. Cyr. II, 1. 1.

Romanis hominibus et sine dubio etiam ceteris Italis moris fuit sinistras partes auspicatiores existimare [1]). Talibus exemplis opinor satis comprobatur non a Graecis disciplinam esse desumptam sed potius ex eodem fonte atque Graecorum disciplinam fluxisse. Namque quod Servius [2]) tradit missos esse a Marsya rege Phrygum qui Italos disciplinam augurandi edocerent, Graecorum commenticiis fabellis nemo est quin attribuat. Florebat autem inter Italos quondam apud Umbros augurandi disciplina de quo et tabularum Iguvinarum reliquiis et Ciceronis [3]) testimonio constat. Deinde Sabinos commemoro quorum Marsi nimia superstitione derisui erant Romanis hominibus [4]). Apud Sabinos quidem etiam accuratiora de avium observandarum disciplina praecepta fuisse verisimile est. Namque commemorantur a Varrone de ling. Lat. v. 85. aves quaedam Titiae quas a sodalibus Titiis in certis auguriis observatas esse scribit. Titiae autem aves certo separari nequeunt a tribu illa Titiensi quam ex Sabinis oriundam esse plerique consentiunt.

Iam vero pergo ad Romanos quorum cum disciplina divinandi apposite de Etruscorum institutis disseretur cum utriusque nationis usus arte cohaereat. Romani ex tribus potissimum generibus voluntatem deorum immortalium perspicere posse sibi visi sunt. Ac primum quidem in extis hostiarum observandis haruspicum disciplina versabatur, qua quidem frequentissime usos esse Romanos historiae monumentis traditur memoriae. Tanta autem erat Etruscorum in hoc genere auctoritas ut quondam senatus decrevisse tradatur ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur [5]) ne tanta ars propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quaestum. Quod cum ita sit nullo modo mirum videbitur multa ex Etruscorum disciplina in libros pontificum fluxisse cum pontificibus harum rerum quarum causa haruspices

1) Festus p. 351 ed. Muelleri. — 2) Servius ad Aen. III, 357. — 3) Cic. de div. I, 41. — 4) Cic. ib. II, 33. 70. — 5) Cic. de div. I, 41.

acciri solebant, cura proprie demandata fuerit. Itaque ei qui in hos libros inquiret accurate circumspiciendum est et quidnam ex libris pontificiis ad Etruscorum pertineat disciplinam et quatenus ea quae sub Etruscae disciplinae nomine ad nos pervenerint, ad libros pontificios supplendos conferant. Alterum autem genus divinationis quam naturalem Cicero vocat, totum ex libris Sibyllinis pendet, quorum interpretatio collegio quindecimvirorum sacris faciundis mandata erat[1]). Libri autem Sibyllini toti Graecorum sunt[2]) ex eoque fonte cum in Capitolii incendio anno 671/83 periissent, rursus senatusconsulto quoad eius fieri potuit, restituti atque redintegrati sunt[3]). Itaque ei qui ad libros Sibyllinos restituendos se contulerit sive de quindecimvirorum commentariis[4]) disputaturus est, potissimum ad Graecorum oracula confugiendum erit, quippe ex quibus summa vel potius sola operis instituendi adminicula pendeant. Iam vero ad tertium genus divinationis apud Romanos usitatae pergo **auguralem** videlicet **disciplinam**, cuius fragmenta in hoc libello colligere atque illustrare conatus sum. Sed antequam ad ipsum opus aggrediar, certis finibus et velut quibusdam pomeriis et effatis ut cum Macrobio loquar, haec disputatio mihi circumscribenda est. Quaerendum est enim ut Graecos missos faciam quatenus auguralis disciplina Romanorum ex Etrusca disciplina pendeat ne si ea quae sub Etruscae disciplinae nomine nobis tradita sunt, neglexerim, reprehendar quasi non omnia adminicula ad librorum auguralium fragmenta resarcienda adhibuerim. Ac primum quidem Strabo[5]) Graecus homo quem ut iam nunc sententiam meam significem, merito castigavit Muellerus (E. II, 122 adn. 45.) totam augurandi disciplinam Romanos Etruscis acceptam referre statuit. Paullo modestius Dionysius Halicarnassensis[6]) in incerto relinquit utrum Romani ab Etruscis de fulminum significatione edocti sint an a maioribus

1) cf. loci apud B. M. IV, 294. sqq. — 2) ib. p. 296 adn. 47. — 3) ib. 298. — 4) Censorin. de d. nat. XVII, 9. 10. 11. — 5) XVII, p. 813. — 6) arch. Rom. II, 5.

suis didicerint. Eis testimoniis Muellerus assensus est Etruscorum suorum fortissimus patronus in rerum Etrusc. vol. II, p. 120. Quamquam vir doctissimus modo hic modo illic semet ipse excusare atque sententiae suae vim minuere studet. Paullo enim post sic pergit: ,dabei ist es indessen recht wohl denkbar, dass das Specielle des römischen Gebrauchs den Tuskern zum Theil fremd war, dass überhaupt manche Veränderung mit der Etruskischen Lehre vorgegangen war, ehe sie und als sie römisch wurde,‘ cf. p. 119. Namque ut statim quid sentiam dicam **auguralem disciplinam Romanorum ex Etruscis pendere nego.** Sed sequitur ut id quod modo negavi argumentorum auctoritate refutem. In hac quaestione peropportune accidit ut Muellerus nobis arma quaedam ad impugnandam sententiam suam tradiderit. Namque quod Romani originem auspiciorum suorum ad Romulum rettulerunt[1]), parentem urbis Romae eundemque augurem testimonio est satis opinor firmo eos ne Etruscis quidem auspicia accepta rettulisse praesertim cum ceteroquin sua instituta moresque plerumque ab aliis se accepisse arbitrati sint. Quid quod ipsi homines Romani eique augures apertis verbis declaraverunt Etruscis cum sua disciplina nullam esse communionem. Tiberius quidem Sempronius Gracchus consul iterum anno a. u. c. 591/163 cum haruspices homines Tusci in senatum introducti respondissent eum non iustum fuisse comitiorum rogatorem in hunc modum fertur verba fecisse: ,Itane vero ego non iustus qui et consul rogavi et augur et auspicato? An vos Tusci ac barbari auspiciorum populi Romani ius tenetis et interpretes esse comitiorum potestis?‘[2]) Eique libenter adstipulatur M. Tullius Cicero et ipse augur de div. II, 35. 75.: ,quid enim scire Etrusci haruspices aut de tabernaculo recte capto aut de pomerii iure potuerunt?‘ Quibus verbis tota ratiocinatio Muelleriana: (rer. Etr. p. 120) ,der Begriff Templum (quo etiam pomerium pertinet) geht

---

1) Cic. de div. I, 2. 3. ib. II, 33. 70. de nat. deor. III, 2. Dion. antiqq. Rom. II, 6. Plut. Rom. 22. — 2) Cic. de nat. deor. II, 4.

durch das Ganze; dass dieser Tuskisch ist, beweist die folgende Darstellung‘ concidat necesse est. Namque tabernacula nihil sunt nisi templa minora[1]). Apparet igitur in tabernaculo capiendo id est in templo effando usum Etruscorum ab usu Romanorum diversum fuisse. Ceterum ut in hoc templo paullo diutius commorer, etiam in eo utraque disciplina diversa videtur esse quod Romani homines ni omnia me fallunt, in templo effando legibusque dicendis orientem versus spectare solebant[2]) Etrusci meridiem versus intuebantur. Nam Attus Navius quidem quem Etruscorum disciplinam exercuisse ex eo evincitur quod ad uvam inveniendam caelum in sedecim partes divisit (Cic. de div. I, 17. 31.) id quod Etruscorum proprium erat (de div. II, 18. 42.) a Cicerone ll. meridiem versus spectavisse traditur. Ti. autem Sempronii testimonio assensus est M. Tullius Cicero item augur. Namque in epistola ad Caecinam data[3]) quem Etruscae disciplinae studiosissimum fuisse notum est[4]) verba facit in hunc modum: ‚non igitur ex alitis involatu nec e cantu sinistro oscinis ut in nostra disciplina est nec ex tripudiis solistimis aut soniviis tibi auguror.‘ Suam igitur ie. Romanam disciplinam Etruscorum disciplinae opponit. Idem Cicero (de div. I, 33. 72.) suos id est Romanos libros augurales ab Etruscorum et haruspicinis et fulguralibus et ritualibus libris verbis planis separat. Adicio denique unum saltem exemplum quamvis etiam plura afferri possint, quo utriusque disciplinae discrepantia illustrari possit. Etrusci enim non magis quam Romani avium observationem neglexisse videntur. Evincitur hoc cum ex eo quod Attus Navius secundum Dionys. III, 70. Etruscis traditur *τὴν οἰωνοσκοπικὴν διδαχθησόμενος* tum ex eo quod Umbricius Etruscorum haruspicum peritissimus secundum Plinium[5]) etiam accuratius in avium observatarum naturam videtur inquisivisse. In avibus autem observandis Romani homines paucis tantum uteban-

1) Fest. 157. M. — 2) Liv. I, 18. Dion. ll. II, 5. Plut. qu. Rom. 78. Serv. ad Aen. II, 693. — 3) ad fam. VI, 6. 7. — 4) ad fam. VI, 6. 3. Sen. quaest. nat. II, 56. 1. — 5) cf. Tac. hist. 1. 27. Suet. v. Galbae 19.

tur[1]). Disciplina autem Etrusca quae libro avium imaginibus atque figuris distincto mandata erat, multo plures longeque diversas adhibuit teste Plinio in N. H. X, 13. 17. Haec autem ideo praefatus sum ut fragmenta quaedam, quae sub Etruscae disciplinae nomine exstant, a libris auguralibus Romanorum arcenda atque removenda esse demonstrarem. Profero autem etiam alia quaedam quae mihi non curanda esse videntur. Permulta enim verba sollemnia ad fulguralem disciplinam pertinentia Etruscorum libris fulguralibus vindicanda sunt cf. Sen. quaest. nat. II, 49: ‚nunc nomina fulgurum quae a Caecina[2]) ponuntur aperte distinguam et quod de eis sentiam exponam. Ait esse postularia, quibus sacrificia intermissa aut non rite facta repetuntur, monitoria quibus docetur quid cavendum sit, pestifera quae mortem exiliumve portendunt, fallacia quae per speciem alicuius boni nocent — tentanea quae speciem periculi sine periculo adferunt, peremptalia quibus tolluntur priorum fulminum minae, adtestata quae prioribus consentiunt, adterranea quae in cluso fiunt, obruta quibus iam percussa prius nec procurata feriuntur, regalia quorum vi tangitur vel comitium vel principalia urbis liberae loca — inferna cum ex terra exsiliunt ignes, hospitalia quae sacrificiis ad nos Iovem accersunt et ut verbo eorum meliori utar, invitant, auxiliaria quae invocata sed advocantium bono eveniunt‘[3]). Ad Etruscos quoque libros fulgurales vox ‚manubiae‘ pertinet teste Servio ad Aen. I, 42. Neque tamen id dico Romanos augures omnino fulminum significationes neglexisse, quod quam falsum sit, ex ipsis fragmentis librorum auguralium apparet, sed multo simpliciora praecepta eos tradidisse persuasum habeo quam ut ex Etrusca disciplina nobis ad hunc libellum subsidia petenda sint. Si forte quis est, qui Etruscae disciplinae immensam in hoc genere ambagem ut cum Plinio loquar nosse velit adeat ἐφήμερον βροντοσκοπίαν quam Nigidius

1) Cic. de div. II, 36. 76. Festus 197. M. — 2) cf. adn. 4. pag. 8. — 3) cf. Fest. 210. 245. 214.

Figulus ex libris Tageticis promsit, I. Laurentius Lydus in Graecum sermonem vertit.

Iam vero ad auguralis disciplinae libros pergo. Disciplinae auguralis notitia antiquis temporibus sine dubio per memoriam successorum celebrabatur eiusque usus etiam posterioribus temporibus satis plana vestigia supersunt. Romani quidem augures commentandi causa atque inter se colloquendi Nonis convenire solebant[1]). Eadem consuetudo apparet ex loco quodam Festi pag. 16: ‚arcani sermonis significatio trahitur sive ab arce quae tutissima pars est urbis sive a genere sacrificii quod in arce fit ab auguribus adeo remotum a notitia vulgari ut ne litteris quidem mandetur, sed per memoriam successorum celebretur‘. Attamen vero iam anno a. u. c. 591/163 cum Tiberius Sempronius iterum consul esset, libri quidam reperiuntur, quibus ius augurium traditum fuisse scriptorum testimoniis constat[2]). Ac primum quidem **libri augurum** sive **augurales** commemorantur, qui descripti in uniuscuiusque auguris manibus fuisse videntur. Ti. quidem Sempronius eos secum in Sardiniam provinciam attulit ibique cum legeret (Cic. de nat. deor. II, 4. 11.) recordatus est quid sibi in campo comitia consulum habenti contra auspicia accidisset (Cic. ad Qu. fr. II, 2. 1.). Porro si quaerimus quibus temporibus libri augurum orti sint compositique, origo quarundam partium ex regum tempore mihi videtur esse repetenda[3]). Etenim in fragmento XXXI = Cic. de rep. II, 31. 54. commemoratur provocationem etiam a regibus fuisse. Deinde etiam formula regum inaugurandorum quae sine dubio libris auguralibus vindicanda est ad regni tempora pertinet (Fragm. XI = Liv. I, 18.). Sed turpiter erraremus si iam regum temporibus totum corpus iuris auguralis ut ita dicam conscriptum esse arbitraremur. Namque in eisdem libris mentio fit dictatoris, quem vocant magistrum populi. fr. XXVIII = Cic. de rep. I, 40. 63. Dictatura autem in-

1) Cic. de div. I, 41. 90. — 2) Cic. de nat. deor. II, 4. 11. — 3) cf. Ambroschium de sacris Rom. libris part I. (Bresl. 1850) p. 11 et eiusdem librum qui inscriptus est ‚Studien und Andeutungen‘ p. 163. adn. 19.

stituta est decem fere annis postquam reges exacti sunt[1]). Sed ne eo quidem tempore libri augurales absoluti esse possunt. Namque legitur apud Festum p. 161 M.: ‚Maximum praetorem putant dici eum qui maximi imperii sit ali qui aetatis maximae. Pro collegio quidem augurum decretum est quod in Salutis augurio praetores maiores et minores appellantur[2]) non ad aetatem sed ad vim imperi pertinere.‘ Iam vero cum praetorum mentio fiat, fortasse ad consules hanc appellationem referre liceat, quippe qui veteribus temporibus eo nomine vocati sint[3]) praesertim cum L. Iulius Caesar qui auguria explicavit, alterum consulem maiorem vocatum esse tradat memoriae[4]). Attamen cum plurali numero praetores maiores et minores vocentur, nullo modo de consulibus cogitari potest ad quos si referremus, numerus singularis substituendus esset. Itaque ad ea tempora descendendum est quibus praetores qui a posteris sic vocantur primum creatos esse constat. Id autem factum esse anno a u. c. 388/366 nemo nescit. Sed ne hoc quidem tempus sufficit. Eo enim tempore unus tantum praetor creatus est. Sed cum plurali numero plures significentur usque ad annum a. u. c. 507/247 progrediamur necesse est quo anno alterum praetorem creatum esse qui ius inter cives Romanos et peregrinos diceret, constat[5]). Etiam altius descendere opus non est; namque mea quidem sententia praetores maiores et minores de consulibus praetoribusque qui postea sic vocabantur, intellegendum est recteque augurum collegium decrevisse apparet, quod non ad aetatem sed ad vim imperii hanc distinctionem pertinere censuit. Quodsi hoc fragmentum in auguralibus libris infuisse persuasum habemus quod certe debemus tum **post annum demum 507 u. c. libros augurales perfectos absolutosque** esse evici[6]). Anno autem 591 cum

---

1) cf. L. L. H. I, 659. — 2) ubi tandem nisi in libris auguralibus? 3) L. L. H. I, 496. adn. 5. — 4) Fest. 161 M. — 5) L. L. H. I, 659. — 6) dubitanter sane Ath. Ambroschius ll. adn. 46 sub Catonis maioris aetatem disciplinam monumentis traditam esse suspicatur.

iam in manibus Ti. Sempronii Gracchi essent[1]) non ita multum a vero aberrabimus si post bellum Punicum primum eos in unum corpus redactos esse editosque statuemus. Ad eosdem libros augurales mihi quidem videtur referenda esse **reconditorum librorum** appellatio apud Cic. (de dom. XV, 39): ‚Venio ad augures quorum ego libros si qui sunt reconditi, non scrutor,' et apud Servium (ad Aen. I, 398): ‚multi tamen asserunt cycnos inter augurales avis non inveniri neque auguralibus commentariis eorum nomen illatum. Sed in libris reconditis lectum esse posse quamlibet avem auspicium attestari maxime quia non poscatur.' Ac primum quidem quod ad nomen reconditorum attinet, non quasi proprium ad unum certum genus librorum, in qua sententia video esse Muellerum[2]), sed ad complures varii argumenti libros pertinet. Etenim Servius libris quibusdam reconditis praeceptum aliquod tribuit, quod prorsus a Romana disciplina alienum Etruscis libris vindicandum est: ad Aen. II, 649: ‚tria sunt fulminum genera est quod afflat quod incendit quod findit. Sane de fulminibus hoc scriptum in reconditis invenitur: quodsi quem principem civitatis vel regem fulmen afflaverit et supervixerit, posteros eius nobiles futuros et aeternae gloriae.' Reconditorum librorum nomen Valerius Maximus I, 12. refert ad pontificales libros: ‚in altera (arca) libri reconditi erant septem de iure pontificum.' Perperam igitur Muellerus ll. reconditos libros Etruscorum disciplinae soli vindicat ab Romanisque auguribus in rebus difficilioribus tantum aditos esse eos coniectat. Huic sententiae vel propterea assentiri nequeo quod Romanorum disciplinam nullo modo ex Etruscis libris pependisse iam supra evincere studui. Accedit quod a Servio hoc praeceptum nominatim Romani moris fuisse traditur: ad Aen. III, 69: ‚secundum Romanorum morem petit ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam

---

1) Perperam Ambroschius ll. adn. *43 de commentariis cogitat. — 2) ME. II, 113.

si dissimilia sint posteriora solvuntur priora.' Itaque locum Servii (I, 398.) ad Romanos libros refero atque ita quidem ut libros reconditos seu augurales opponi putem commentariis augurum, de quibus item errare Muellerum mox demonstrabo. — Si formam exteriorem horum librorum spectamus, propter pluralem numerum statuendum est complures fuisse particulas atque fortasse ita quidem ut una particula precationes augurales, altera formulas sollemnes et in concipiendis templis et in inaugurandis exaugurandisque hominibus locisque tertia praecepta ad ius publicum pertinentia continuerit. — Quod autem ad genus orationis pertinet, quaerendum est, utrum libros versibus an pedestri oratione scriptos esse censeamus. Unum etiamnunc testimonium superest, quod secutus hanc quaestionem diiudico. Exstant enim apud Festum p. 290 M. haec verba: ‚soni]vio significat in car[mine Saliari et a]ugurali sonanti.' Desunt autem in codice litterae: soni — mine Saliari et a —. Quamvis dubium esse possit utrum ‚Saliari' recte insertum sit, in qua sententia video esse Muellerum in explanatione Festi, tamen dubitari non potest neque quisquam dubitavit quin verba ‚carmine — augurali' recte ab Ursino suppleta sint. Quod si ita est, orationem numeris Saturniis scilicet vinctam etiamsi non totis libris auguralibus at saltem precationibus formulisque vindicemus necesse est. Accedit quod aliis testimoniis haec sententia fulcitur. Namque apud Capitolinum scriptorem in vitae Aurel. cap. IV. in ipsis sacerdotibus inaugurandis exaugurandisque carmina sollemnia commemorantur: ‚fuit in eo sacerdotio (saliatu scilicet) et praesul et vates et magister et multos inauguravit exauguravitque nemine praeeunte quod ipse carmina cuncta didicisset.' — Addo paucula de genere dictionis. Cum enim pateat genus dictionis vetustissimum esse debere cum librorum auguralium quaedam partes etiam leges XII tabularum superent tum ex fragmentis adhuc superstitibus facillime perspicitur. Quod autem attinet ad fragmenta duo maiora formulam regum inaugurandorum dico (Liv. I, 18.) et templi concipiendi (Varro de l. l. VII. 8.)

quamvis multa antiqua praecipue apud Varronem deprehendamus, attamen non dubito quin verba librorum auguralium etiam multo vetustiorem sonum exhibuerint. Exempli causa Livianum ‚Romae' affero, quod nemo erit quin a regum temporibus alienum esse censeat, quibus sine dubio ‚Romai' pronuntiabant, quae forma ne titulos Scipionum commemorem vel usque ad Lucretiana tempora in usu fuerit. Apud Varronem autem in formula templi effandi legitur ‚lingua nuncupavero' quamvis illis temporibus quibus haec formula orta esse debet, nondum littera d ablativi abiecta esse potuerit. Atque confirmatur haec opinio Symmachi testimonio qui in epist. III, 45. librorum auguralium verba cum Saliaris carminis duodecimque tabularum dicendi genere componit.

Pergo ad eam appellationem qua libri quidam augurales **commentarii** appellantur. Disceptari sane potest utrum commentariorum appellatione idem libri augurales de quibus modo diximus an aliud genus librorum intellegendum sit. Ac primum quidem O. Muellerus[1]) nullum discrimen inter utrumque genus intercedere docet. Recentiores autem critici qui hac de re disputaverunt, Ambroschii[2]) auctoritatem secuti id discrimen intercedere contenderunt, ut libros augurales precationes formulas praeceptaque quaedam antiquissima continere censerent, in commentariis autem facta quaedam memorabiliora enarrata fuisse putarent[3]) eisque adsentior. Adductus autem sum in eam sententiam imprimis loco Serviano ad Aen. I, 398.: ‚multi tamen asserunt cycnos inter augurales aves non inveniri neque auguralibus commentariis eorum nomen illatum. Sed in libris reconditis lectum esse posse quamlibet avem auspicium attestari maxime quia non poscatur.' Iam supra exposui non esse causam cur hoc praeceptum ad libros Etruscorum referamus praesertim cum ipse Servius ad Aen. II, 691. quam maxime apposite ad nostram sententiam hoc ipsum praeceptum quasi Romani

1) M. E. II, p. 122. — 2) Ath. Ambrosch., de sacris Rom. libris, Vratisl. p. 12. cf. adn. 52. — 3) L. L. H. I, 292. Teuffel H. L. R.² p. 117.

moris laudet. Quod si verum est quod verum esse debet cum libri reconditi id est augurales appellantur recte a Servio commentariis opponuntur. Videntur autem hi commentarii ex eo fonte fluxisse quem Cicero de div. I, 41. 90. his verbis descripsit: ‚congregantur in fano commentandi causa atque inter se colloquendi quod etiam idem vos (augures) Nonis quondam facere solebatis.‘

Pergo deinceps ad aliam librorum auguralium speciem quae **decretorum** nomine fertur. Quid sit augurum decretum nemo nescit. Ubi enim in disquisitionem venit vitione creati essent magistratus vitiove lata lex esset vitiove dicta dies senatus ad augures referre vel deferre solebat qui decreto sive responso decernerent utrum salvis auspiciis necne magistratus creati essent dies esset dicta lata lex. Talium decretorum ex Livio atque Cicerone petitorum copiam quondam Brissonus in eo libro quem de formulis scripsit collegit, quantumque ad magistratus creatos pertinet etiam plenius Grosserus ‚de spectione et nuntiatione‘ p. 26 sqq. Reliquiae vero paucae tantum supersunt cum a scriptoribus plerumque nihil nisi augurum decretum factum esse memoriae tradatur raro solummodo cuius generis id decretum fuerit accuratius indicetur. In disquisitionem autem venire ea auspicia solum potuerunt in quibus incertum erat quid ius augurium posceret quibusque in libris auguralibus prospectum non esset[1]. Namque si qui magistratus aperte[2] contra auspicia creatus esset quod vetustioribus temporibus certe usu venire numquam poterat qui locus augurum decreto esse potuisset cum omnes scire deberent eum esse vitio creatum? Itaque apparet decretis reconditiora iuris augurii praecepta cum imperitis esse communicata atque interdum etiam nova praecepta esse proposita cum libri aut non sufficerent aut interpretatione atque explicatione egerent. Denique pauculis dicendum est de discrimine quod inter commentarios atque decreta auguralia intercedit. Namque quantum ad com-

1) cf. Ambrosch. ll. p. 12. — 2) M. R. S. I. p. 28.

mentarios eam sententiam secuti sumus ut eis mandata esse facta quaedam memorabiliora quae in posterum pro norma atque regula essent, consentiremus. Atque etiam illud concessimus in commentariis quodammodo explicationem atque interpretationem librorum auguralium prolatam fuisse. Atqui cum prorsus idem decretis augurum vindicaverim sequitur ut magna cum probabilitate concludamus commentarios ex decretis si non omnibus attamen memorabilioribus compositos semperque denuo auctos amplificatosque esse, in qua sententia mihi videtur esse etiam Langius v. d. commentarios his verbis lingua vernacula definiens[1]) ‚eine Sammlung von Präcedenzfällen, die natürlich immer weiter geführt wurde.'

Praeter eos libros quos modo enumeravi etiam alios fuisse in collegio augurum facile ex disputatione Ambroschii perspicitur[2]). Namque veri simile est sicut ceterorum collegiorum imprimis fratrum Arvalium etiam augurum fuisse **acta** quaedam et **fastos** augurales[3]) et quasdam **tabulas** ad **bona** et **reditus** collegii spectantes[4]). Sed quamvis multa sine dubio erui possint quae in his libris fuisse necesse est attamen ne fragmentum unum quidem aetatem tulit nisi forte cum Borghesio (Oss. num. dec. VII. oss. 7) fragmentum aliquod fastorum huc trahere volumus quod vir doctus ex coniectura auguribus vindicandum esse censuit[5]). Cf. Momms. I. L. A. p. 465 et Mercklinum ‚die Cooptation' p. 217. — Denique quod attinet ad libros isagogicos quos appellant minus recte Mercklinus in Philologi vol. IV. eam sententiam mihi videtur protulisse libros isagogicos omnino non exstare apud sacerdotes. Namque quamvis hoc de vetustissimis temporibus recte dictum esse concedam attamen non video quidni Mar-

1) L. L. H. I, 292. cf. Ambrosch. ll. p. 12. adn. 52 et quos ibi laudavit. — 2) de sacr. Rom. libris p. 12. seqq. — 3) fastos quoad eius fieri poterat eruit Bardtius in libello scholastico qui inscribitur: ‚Jahresbericht des Berliner Wilhelmsgymnasium. Berl. 1871.' — 4) cf. Fest. s. v. obscum. — 5) alia fastorum fragmenta quae idem Borghesius auguribus vindicanda esse coniecit ab institutae scriptionis consilio aliena sunt. cf. Momms. et Mercklinum ll. ll.

celli Appii Valerii Iulii Veranii Nigidii Tullii Terentii libros quos de auspiciis scripserunt, inter isagogicos numerem? Iam vero finem praefandi facturus ordinem quo fragmenta componere constitui pauculis indicabo. Ac primum quidem auguralium librorum fragmenta colligam ita ut primo loco ipsos libros altero commentarios ac decreta collocem. Deinde ad verba singularia transgrediar quae me quidem iudice quondam in libris auguralibus lectitata sunt. Particula autem altera huius libelli quae quam primum fieri poterit priorem subsequetur fragmenta librorum isagogicorum continebit.

Fragmenta librorum auguralium [1]).

I. Libri augurales qui proprie sic vocantur.

A. Fragmenta ad ius sacrum referenda.

a. Fragm. ad deorum cultum pertinentia.

Fragm. I = Serv. ad Aen. IV, 45: Junone secunda... quamvis et ipsa in libris augurum praeesse dicatur auspiciis.

cf. Serv. ad Aen. IV, 166. 167. Ex hoc et insequentibus fragmentis planum fit dubitari posse de veritate eius sententiae quam protulit M. R. S. I. p. 1. adn. 2.

Fragm. II = Fest. p. 157.: **Manes** di ab auguribus invocantur quod i per omnia aetheria terrenaque [codd.-aeque cf. tamen Serv. Aen. III, 63] man[are credantur. Idem di su]peri atque inferi [dicebantur quos ideo invocabant] augures quod hi [existimabantur favere vitae] hominis.

Supplevit Muellerus post Ursinum ex Paulo 156.

Fragm. III^{a} = Cic. de nat. deor. III, 20. 52.: Itaque et Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit et in augurum precatione **Tiberinum Spinonem Anemonem Nodinum** alia propinquorum fluminum nomina videmus.

Fragm. III^{b} = Serv. ad Aen. VIII, 95.: quia Tiberim libri augurum **colubrum** loquuntur tamquam flexuosum.

1) Ea fragmenta quae ex libris ipsis mihi desumpta videbantur, litteris maiusculis imprimenda curavi.

adn. Almonem pro Anemonem scripsit Ursinus. Anionem Heindorfius. Anemonem omnes codd. — Nodinum correxit ex Nonium B = Leid. 86.

cf. Ambroschium ,die Religionsbücher der Römer. Bonn 1843.' p. 40. Quod in fragm. III[b] Tiberis coluber-flexuosus appellatur cf. Serv. Aen. VIII, 63.

Fragm. IV = Fest. 161: **Marspedis** sive sine littera r **Maspedis** in precatione solitaurilium (Turn. Scal. Urs. imprecaticie solita vallium codd.) quid significet ne Messalla quidem augur in explanatione auguriorum reperire se potuisse ait.

cf. Varro de ling. Lat. X, 63. VIII, 33. 49.

Fragm. V = Varro de l. Lat. V, 58: et hi (sc. caelum et terra sive Saturnus et Ops) quos augurum libri scriptos habent sic **divi qui potes** pro illo quod Samothraces *θεοὶ δυνατοί.*

adn. cr.: dei qui codd. ut videtur quamquam Spengelius dii ex vulg. retinuit.

His subsidiis instructi ad locum Vergilii accedere possumus quem Servius ad auguralem disciplinam refert. Exstant enim in Aen. XII, vv. 176. sqq. haec verba: tum pius Aeneas stricto sic ense precatur

Esto nunc Sol testis et haec mihi terra precanti
Quam propter tantos potui perferre labores
Et pater omnipotens et tu Saturnia Iuno
Iam melior iam diva precor tuque inclite Mavors
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques
Fontesque fluviosque voco quaeque aetheris alti
Religio et quae caeruleo sunt numina ponto.

Ad hos versus Servius haec adnotavit: ,et hoc per speciem augurii quae ,precatio maxima' appellatur dicit. precatio autem maxima est quum plures deos quam in ceteris partibus auguriorum precatur eventusque rei bonae poscitur ut in melius iuvent quod his versibus ostenditur.' Dicet fortasse quispiam hos Vergilianos versus ex Homeri Iliade esse desumptos ubi III, 276. sqq. haec leguntur:

Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων κύδιστε μέγιστε
Ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις
Καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
Ἀνθρώπους τίνυσθον ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ
Ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά.

Quamquam concedo Vergilium Homerica quaedam admiscuisse attamen in propatulo est eum certam quandam rationem sequi in deorum nominibus proferendis quam eum non Homero acceptam referre primo oculorum obtutu perspicitur. Sed quaeritur quae sit ea ratio et unde eam poeta petiverit. Atque ut mihi quidem videtur recte Servius eam ex augurum precatione maxima repetit. Etenim non est difficile in fragmentis propositis omnes fere eosdem deos agnoscere quos protulit Vergilius. Namque primum quidem nominat Solem et Terram quos habes in fragm. V; namque Varro quidem ,divi qui potes' caelum et terram esse interpretatur. Quamquam non prorsus recte Varronem libros augurales interpretatum esse persuasum habeo. Namque ni egregie fallor hoc *ἀποσπασμάτιον* ad eandem pleniorem formulam pertinet quae est in carmine devotionis apud Livium VIII, 9: ,Iane Iuppiter Marspiter Quirine Bellona Lares Divi Novensiles di Indigetes Divi quorum est potestas nostrorum hostiumque Diique Manes' etc. Quod si verum est Varronis explicatio quomodo orta sit nobis quaerentibus ea solum via relinquitur ut nomina eorum deorum de quibus Varro cogitat ante ea ipsa verba ,divi qui potes' collocata fuisse censeamus. Fuit ergo fortasse in auguralibus: ,Dive pater Saturne divaque mater Tellus (= Ops cf. Aug. de civ. Dei: Tellurem inquit [Varro] putant esse Opem) divi qui potes sqq.' Haec numina Vergilius quoque induxit sed ita ut Solem *Ὁμηρικῶς* pro Saturno invocaret vel quod etiam cogitari potest Solem quem ex antiquissimis temporibus cultum esse constat[1]) nominatim ex precatione maxima repetivit

1) cf. Ambrosch. ,Studien u. And.' p. 171.

in fronteque posuit[1]). Ceterum Tellurem in auspiciis nuptiarum vocatam esse traditur a Servio[2]). Deinde autem Vergilius patrem omnipotentem nominat et Saturniam Iunonem. Iovem quidem deorum hominumque patrem in precatione maxima fuisse non perperam suspicabimur. Iunonem habes in fragmento primo. Sequitur deinde Mavors cuius mentio fit in fragm. IV. Tum poeta fontes fluviosque commemorat quos enumerat Cicero partim in fragm. III[a]. Tum inducuntur v. 181 Manes (quaeque aetheris alti religio cf. Fest. per omnia aetheria terrenaque manare creduntur) quos vides in fragm. II. Quod vero quaedam mirum in modum cum Homericis congruunt quamvis ad augurum precationem pertinere statuendum sit, ita explicandum esse censeo ut eos deos qui et apud Homerum et apud augures enumerentur eis adsignem temporibus quibus Graeci et Itali nondum erant separati. Denique ne Ianum patrem omittam ne illum quidem defuisse in precatione augurali persuasum habeo[3]). Namque quod Ambroschius[4]) Nascionem quoque ad augures rettulit non adsentior. Etenim Ciceronis locus[5]) quem laudat non tam ad augures quam omnino ad Romanos homines pertinet neque a Livio[6]) augures sed potius decemviri sacrorum Ardeae rem divinam fecisse perhibentur. Sed ut ad precationem maximam redeam ea mihi quidem ad augurium Salutis pertinere videtur quod Cassius Dio fusius describit[7]). Movit autem me quam maxime ut huc referrem precationem maximam quod Servius adiecit: ‚eventusque rei bonae poscitur ut in melius iuvent.‘ Hunc enim eventum poscere utrum liceret necne in augurio Salutis deos consulebant[7]). Ad idem augurium Salutis spectare persuasum habeo quod Serv. ad Aen. III, 265. affert: ‚di prohibete minas] hoc per speciem auguralem quae invocatio appellatur nonnulli dictum putant. Invocatio autem est precatio uti avertantur mala cuius rei

1) Fortasse etiam ipsum patrem Ianum significavit cl. Macrob. Sat. I, 17. — 2) Ad Aen. IV, 166. — 3) Paul. 52. cf. adn. 1. — 4) Stud. u. Andeutg. p. 186. adn. 136. — 5) de nat. deor. III, 18. 47. — 6) XXII, 1. — 7) Cassius Dio 37. 24.

causa id sacrificium augurale peragitur.' Namque quoad equidem video de precatione uti avertantur mala de sacrificioque eadem de causa instituto nullibi agitur apud augures nisi in augurio Salutis.

Itaque nostro iure eadem fere verba sollemnia quae sunt apud Vergilium ,di prohibete minas' precationi maximae vindicare poterimus idque eo magis quo eidem auctores Serviani verba ,numina magna' quae sunt in versu superiore ad eosdem *θεοὺς δυνατοὺς* retulerint quos Varro libris auguralibus adsignavit.

Ne autem cui mirum videatur cur Vergilius ex precatione maxima deorum nomina promserit, eam ob causam videtur fecisse ut Octaviani Augusti laudes celebraret. Referendam enim esse precationem maximam ad augurium Salutis iam supra docuimus. Illud autem augurium longo tempore intermissum anno a. u. c. 725/29 Octaviano quintum Sex. Apuleio consulibus repetitum est idque in Octaviani honorem quasi omnibus bellis confectis otium orbi terrarum reddidisset. cf. Cassius Dio 51. 20. Illud igitur factum Augusto honorificentissimum Vergilius silere nolens hoc loco posterorum memoriae tradidit. Similiter in Aen. VII inde a versu 601 Iani Gemini quem patres item in Augusti honorem clausisse apud Dionem legitur, mentionem iniciens Augusti laudes quamvis decentissime induxit.

Fragm. VI = Fest. 351: **bene sponsis beneque volueris** in precatione augurali Messala augur ait significare sponderis volueris.

Pro ,volueris' Scaliger et Lipsius ,voleris' Muellerus ,volis'.

Itaque recte ei videntur explicare rationem auguriorum qui quasi quoddam foedus inter deos et magistratus auspicantes intercedere volunt. cf. M. E. II, p. 135.

Fragm. VII = ib: **serpula serpserit** ait idem Messala serpens irrepserit.

Sine dubio haec verba et ea quae secuntur ita cum superioribus cohaerent, ut facere non possim quin ad pre-

cationem auguralem referam. — Serpens inter pedestria auspicia numeratur cf. Paul. 244. Hor. carm. III. 27. 5. Cassius Dio 41. 14 — Nescio an in fragmento ‚serpsit' pro ‚serpserit' legendum sit.

Fragm. VIII = ib: **solino** idem ait esse consulo.

Vocem solino ad aves observandas refero qua in re consulendi vocabulum sollemne fuisse testes sunt Ovid. Fast. I, 180. et Symm. ep. III, 44. Aliam vocem ‚solīnunt' (cuius media syllaba producta esse debet cf. Ritsch. mon. epigr. tria p. 17.) Fest. 162. ‚solent' interpretatur.

Fragm. IX = ib: **suad ted** idem ait esse sic te.

cf. Muell. in adnot. Festi.

Fragm. X = Varro de l. L. VII, 31.: adagio dictum est ut adustum quod circum ustum est ut **ambiegna bos** apud augures quam circum aliae hostiae constituuntur'.

Turnebus ‚ambegna' leg. proponit. — Sacrificium in auspicando passim commemoratur cf. Zon. VII. 5. Duc. Gellius XIV, 7. Serv. ad Aen. III, 265.

b. formulae sollemnes.

Fragm. XI = Liv. I, 18. accitus sicut Romulus augurato urbe condenda regnum adeptus est de se quoque deos consuli iussit. inde ab augure cui deinde honoris ergo publicum id perpetuumque sacerdotium fuit deductus in arcem in lapide ad meridiem versus consedit. augur ad laevam eius capite velato sedem cepit dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens quem lituum appellarunt. inde ubi prospectu in urbem agrumque capto deos precatus regiones ab oriente ad occasum determinavit dextras ad meridiem laevas ad septemtrionem esse dixit; signum contra quoad longissime conspectum oculi ferebant animo finivit. tum lituo in laevam manum translato dextra in caput Numae imposita precatus est ita: **Iuppiter pater si est fas hunc Numam Pompilium cuius ego caput teneo regem esse Romae uti tu signa nobis certa adclarassis inter eos fines quos feci.**

Tum peregit verbis auspicia quae mitti vellet quibus missis declaratus rex Numa de templo descendit.'

cf. M. E. II, 128. R. U. 70. B. M. IV, 358. adn. 99. L. L. H. I, 263. M. R. S. I, 24.

Priscis temporibus reges deinde vero regibus exactis sacerdotes populi Romani inauguratos esse nemo nescit. Etenim in inauguratione deos consulebant utrum vel regem quem populus creaverat regem esse vellent vel sacerdotes quos collegia cooptarant seu pontifex maximus ceperat sacerdotes esse permitterent. Inauguratio autem quattuor sive quinque partibus continetur quas enumeratas habes apud Livium. Sed priusquam ad eas partes pergam de eo disputandum est quod Livius regem sedem cepisse ad meridiem augurem ad orientem versum narrat. Namque etiamsi de augure non verbis disertis declarat attamen ex eo colligitur quod idem augur in ipsa formula dextras ad meridiem partes laevas ad septemtrionem esse dicit[1]). Livii autem verba certiora sunt quam ut Marquardto[2]) assentiri possimus qui hoc concedendum esse negat. Etenim quod contendit Marq. augurem ea signa observasse quae inaugurando apparerent, in inaugurationis vi atque significatione admodum dubium est. Ac ne ego quidem sibi augurem certa signa mitti a Iove petere persuasum habeo. Sed interregem de quo post accuratius videbimus inaugurationi interfuisse ab eoque iussum augurem auspicio operam dedisse valde probabile est etiamsi non verbis disertis declaratur. Namque quod Marq. ad Romuli inaugurationem quam putat a Dionysio II, 5 enarratam provocat quippe qui solus auspicio operam det scilicet ne duobus observantibus diversa signa appareant, a Dionysio regum inaugurandorum auspicia cum posteriorum auspiciis magistratus ineuntium confundi quisque primo oculorum obtutu videt[3]). Adire potius debebat Marq. lib. II,

1) Minus accurate Plut. in vita Numae 7. — 2) B. M. IV, 358. adn. 99. — 3) De auspiciis magistratus ineuntium cf. B. M. II, 2. 122. adn. 178.

60. ubi idem Dionysius in Numae inauguratione sine dubio auctores secutus augures quoque inducit. Itaque si quid video Livii auctoritas nullo modo repudianda est. Deinde addit Livius augurem capite velato ad laevam regis sedem cepisse. Aliter Plutarchus ll. tradit regem capite velato consedisse. Inde videtur nata esse Mezgeri opinio[1]) et augurem et inaugurandum capitibus fuisse velatis. Namque ut verba Livii ,capite velato' ad regis caput referantur propter Latini sermonis usum fieri nequit. Nihilominus tamen in ea re Livium errasse puto. Etenim ut augur capite velato fuerit vel propterea factum esse nequit quod in templo constituendo de quo deinceps agendum erit avibusque observandis oculorum usum minime impeditum exercere debebat[2]). Itaque fieri potuisse ut augur capite velato sederet nullo modo probabile est. Sequitur ergo ut aut Livii verba transponamus aut si id propter codicum constantiam minus placeat, Livium fontium suorum verba non recte interpretatum esse concedamus[3]). — Iam vero pergo ad singulos inaugurationis ritus moresque. Atque primum quidem id quod a Livio non verbis disertis commemoratur in inauguratione sacrificia quaedam sollemnia fuisse apparet ex Plutarchi narratione qui Numam etiam sacerdotes nescio quos (ἱερεῖς) praeter augures adhibuisse testatur et ex Dion. antiq. IV, 80. Fortasse etiam ad hoc sacrificium pertinet id quod legitur apud Paullum 16 s. v. arcani sermonis. Atque ut tandem ad augurum officia veniam primum quidem augur precatur deos de qua precatione iam supra disputatum est[4]). Deinde autem regiones ab oriente ad occasum determinat quod recte Marq. ll. eumque secutus Weissenbornius ad Liv. de decumano id est linea ab oriente ad occasum versus descripta interpretantur. Utrum vero in regionum determinatione quae fiebat lituo verbis sollemnibus augur usus sit non liquet ac

---

1) Paulyi enc. II, 1176. — 2) cf. Varro de l. L. VII, 8. Fest. 322. — 3) Fortasse apud illos erat: ad meridiem versus consedit capite velato augur ad laevam eius sedem cepit. — 4) cf. Serv. Aen. VI, 197.

ne probabile quidem est. Quo facto templi concipiendi verba sollemnia secuntur, de quibus infra exponam. Deinde augur ad ipsam formulam inaugurationis transit, quam formulam in fronte exhibui. Dubitatio enim nulla esse potest quin haec formula fuerit in auguralibus quamvis non verbis disertis tradatur. Quod vero augur ad Iovis nomen patris appellationem adiecit[1]) ex veterum consuetudine repetendum est qui familiariter quodammodo deis utebantur. Deinde quod dixit ‚cuius ego caput teneo' cf. L. L. H. I, 98. Volt autem augur Iovem certa mittere signa id est talia quibus missis nullo modo de voluntate Iovis ambigi possit[2]). Ea enim est totius disciplinae ratio ut nulli ambiguitati locus esse debeat. Itaque quomodo ipse augur ut supra vidimus accuratissime signum animo finivit ita etiam a Iove certa signa exspectat. Tum ut pergit Livius peregit (sc. augur) verbis auspicia quae mitti vellet. Appellatur autem ista species augurii ‚legum dictio' teste Servio[3]). Nemo autem adhuc praeter M. R. S. I, p. 4. recte mihi explicasse videtur quae sit haec legum dictio. Namque Muellerus in ea sententia est si recte iudico fuisse duplex genus augurii alterum in quo nulla certa signa exspectaverint alterum in quo certa atque praescripta ad quod genus legum dictionis nomen refert[4]). Sed perperam eum sic statuere in propatulo est. In omni enim augurio impetrativo quod vel ipsa appellatio declarat certa signa exspectantur. Quod autem Marq. legum dictionem ad templum concipiendum refert[5]) non minus falsum est ut apparet. Res potius ita se habet ut legum dictio in omni augurio impetrativo fuisse cogitanda sit. Subsequebatur autem templi effandi verba sollemnia ut luce clarius ex Livio et ex Servio perspicimus. Fortasse huc pertinet.

Fragm. XII = Fest. 322: **sar]te** in augu[ralibus pro inte]gro ponitur **[sane sartequ]e audire vi[dereque** ob quam caus]am opera publica etc.

---

1) Quamquam iam in nomin. et voc. patris significatio exstat. — 2) Perperam M. E. II, 128. de faustis signis interpretatur. — 3) ad Aen. III, 89. — 4) E. II, 118. — 5) IV, 358. adn. 99.

Resartum summa cum probabilitate ex Paulo et Charisio II, 196. P.

Puto autem praeceptum tale fuisse in legum dictione ut augur eadem cum diligentia quam modo laudavimus ea tantum signa at se pertinere vellet quae ‚sane sarteque audire videreque' posset, id est ea in quibus nulla dubitatio esse potest quin revera aut viderit aut audierit[1]). Fortasse etiam ad legum dictionem pertinet ἀποσπασμάτιον quoddam quod legitur apud

Fragm. XIII = Fest 290. **soni]vio** significat in car[mine Saliari et A]ugurali sonanti.

Utrum ‚Saliari' recte Ursinus suppleverit cum Muellero dubitare licet. De supplemento ‚augurali' dubitatio esse non potest. Attamen ex coniectura tantum huc potissimum refero neque obloquor si quis forte malit ad precationem aut alio quo referre. Denique regis declaratio a Livio commemoratur. Namque cum dicat ‚quibus missis declaratus de templo descendit' intellegitur declarationem verbis quibusdam sollemnibus pronuntiatam fuisse; etenim nisi verbis sollemnibus declaratio facta esset, vox ‚declaratus' apud Livium prorsus superflua esset cum verba, quibus missis de templo descendit sola iam satisfacerent. Quod si persuasum habemus etiam illud in propatulo est quid de renuntiatione regis iudicandum sit. Etenim cum in creatione regis renuntiationis quae quin fieri solita sit dubium esse non potest, nulla omnino mentio fiat sequitur ut nisi renuntiationem prorsus a scriptoribus omissam esse statuamus renuntiationem et declarationem idem significare concedamus. Quod si verum est ne illud quidem diutius latere poterit quem et inaugurationi et declarationi regis praefuisse censeamus dico interregem a quo demum post renuntiationem sive declarationem tota creatione perfecta auspicia ad novum regem transiisse cogitanda sunt.

Sed ne Mommseni sententiam de rege inaugurando transeam (R. S. I, p. 23 s. et II, p. 8.) vir doctissimus

1) cf. Sen. quaest. nat. II, 32.

arbitratur hanc inaugurationem quam describit Livius a regis sacrificuli inauguratione perperam ad reges ipsos translatam esse. Attamen vero quaeritur quae sit vis atque significatio inaugurationis. Inauguratio autem ut iam supra significavi consultatio quaedam deorum est utrum aliquem eo munere fungi velint ad quod fungendum populus eum destinavit. Deis autem nolentibus dubium esse non potest quin compluries eam inaugurationem repeti vetitum fuerit. At longe alia eorum auspiciorum condicio est quae a magistratibus honores adeuntibus captari solebant. Etenim ea auspicia si forte infausta evadebant compluries repeti poterant donec fausta evaderent. Namque quod contendit Mommsenus ‚die Inauguration des Opferkönigs ist hervorgegangen aus der ursprünglichen ersten Auspication des Königs und neben dieser formell wie materiell für einen besondern Inaugurationsact kein Raum‘ non reputavit regis creationem tum demum perfectam esse cum post inaugurationem declaratus de templo descendit ut iam supra significavi. In inauguratione igitur non rex inaugurandus sed potius interrex auspiciis deorum voluntatem explorat. At postquam rex creatus est ipse sicut magistratus adeuntes auspiciis operam dat eo scililet consilio ut id quod primum suscepturus est utrum deis placeat necne investiget. Ergo optime ex rei publicae Romanae institutis regis inaugurationem explicari posse in propatulo est nisi forte cum Mommseno omnia regiae potestatis officia ex magistratuum liberae reipublicae institutis computare voluerimus. — Sed hac disputatione adducor ut paucula quaedam de sacerdotum inauguratione addam. Ac nominatim quidem appellantur rex sacrorum flamines pontifices augures Salii quos inauguratos esse constat. Huc accedunt virgines Vestales quas cum exaugurari potuisse constet[1]) etiam inauguratas esse recte coniectabimus[2]). Namque quod Mommsenus (R. S.

1) Gell. VII, 7. 4. Fest. 241. — 2) cf. Merckl. Coopt. p. 76.

II, 30.) id concedendum esse negavit propterea quod mulieres in comitiis adesse vetabantur haud scio an Vestales — filiaefamilas populi Romani — ea lege exceptae fuerint. Quod si quis negat etiam illud potest cogitari non tam curias quam lictores curiatios in Vestalibus inaugurandis adhiberi esse solitos. Ac ne illo quidem argumento mihi persuasit Mommsenus quod apud iureconsultos (Gai. I, 130. Ulp. X. 5) flaminum inaugurationem cum Vestalium captione ita componi dicit ut Vestales non inauguratas esse appareat. Namque sine dubio illi iureconsulti etiam flamines capi dixissent nisi proprie capiendi verbum ad virgines Vestales pertinuisset (Gell. I, 12.) — Sed etiam reliquos si qui forte supersunt sacerdotes inauguratos esse testis est Cicero qui augures omnes omnino sacerdotes augurare id est inaugurare iubet[1]) et Dionysius sine dubio sui temporis mores ritusque ad Romulum referens[2]). Namque quod Labeo apud Gellium XV, 27 scribit ‚calata comitia esse quae pro conlegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa' ita explicandum esse mihi videtur ut posterioribus temporibus solum in rege sacrorum et flaminibus inaugurandis calata comitia habita, in ceteris autem sacerdotibus inaugurandis solum lictores curiatios adhibitos esse statuamus. Antiquioribus autem temporibus cum numerus sacerdotum non tantum increvisset omnes sacerdotes in calatis comitiis inauguratos esse libenter Dionysio concedemus. Quod utut est illud certe nemo Mommseno adsentietur quod inaugurationem reliquorum sacerdotum exceptis rege et flaminibus tollit aut ita saltem impugnat ut paene nihil aliud relinquat quam ad sacra vocationem quamdam qua quomodo certissima testimonia expedire velit ipse videat. — Quod vero Marq. (IV. 351.) inaugurationem sacerdotum in foro habitam esse arbitratur magis posuit quam probavit. Etenim cum ex regum inaugurandorum loco i. e. colle Capitolino (cf. Plut. et Zon. ll. ll.) tum ex quibusdam aliis testimoniis contrarium

1) de leg. II, 8. 20. — 2) Dion. II, 22. cf. B. M. IV, 351.

probabile fit. Apud Gellium enim regis aut flaminum (ac fine dubio etiam reliquorum sacerdotum) inaugurandorum causa pro collegio pontificum calata comitia habita esse traditur. Calata autem comitia in Capitolio fuisse feruntur[1]). Itaque ni egregie fallor sacerdotes in Capitolio inaugurabantur cf. L. L. H. I, 343. Orta autem est Marq. opinio ex loco Varroniano quem falso interpretatus est: ‚de L. L. V, 47: (sacra via) per quam augures ex arce profecti solent inaugurare‘. Verbum enim inaugurandi hic non ad sacerdotes inaugurandos pertinet sed latius patet atque idem fere significat atque ‚augurium agere‘ ‚aves consulere‘ cf. Liv. I, 36. et Plaut. As. II, 1. 12. Edocemur ergo hoc loco Varroniano augures antequam ad auguria agenda proficiscerentur convenisse in arcem ubi erat auguraculum deinde profectos per sacram viam ad officia perrexisse. — Unum tantum fragmentum superest quod nisi fallor ad inaugurationem virginum Vestalium pertinet[2]). Est apud Varronem.

Fragm. XIV = Varro d. L. L. VII, 64: sic conserere manum dicimur cum hoste, sic ex iure manum consertum vocare, hinc adserere manu in libertatem quom prendimus, sic augures dicunt: **Si mihi auctor es verbi** . . . . nam manu adserere dicit . . . .‘ Recte iam Muellerus perspexit in formula illa augurali de manu asserendo aliquid dictum fuisse. Namque cum antea iam de manu asserendo disputatum sit, eadem disputatio hac formula prolata continuatur. In augurali autem disciplina assertio proprie non nisi in inauguratione virginum Vestalium usu venit quae secundum Gellium[3]) manu pontificis maximi capiebantur.

Quod autem Marq. (IV, 281.) opinatur captionem quae

---

1) idem pontifex calata ce. vocata in Capitolium plebe iuxta cuviam Calabram (Macr.). — 2) Theod. Bergkius in ind. schol. aest. Hal. 1863. p. 4. secundum Liv. I, 24. temere hunc locum sic supplevit ‚si mihi auctor es verbenam manu asserere‘. Refert enim hunc locum non tam ad augures quam ad fetiales quibus suo Marte in augurum libris, praecepta proposita esse coniectat ‚nam videntur augurum libri etiam alia quae non ad ipsorum augurum officia pertinebant comprehendisse‘. — 3) I, 12. cf. L. L. H. I, 115. s.

formula sollemni fiebat[1]) inauguratione priorem fuisse nullo testimonio nititur. Immo cum vis huius formulae ea sit ut virgo Vestalis mancipatione quadam ex patris potestate exeat in deaeque potestatem transeat[2]) paene per se intellegitur hoc fieri non potuisse nisi deo sive dea ante adprobante atque consentiente. Ac ne Mommseni sententia qua captionem et inaugurationem idem esse statuit vera esse potest cum a Liv. XXVII, 8. 4. inauguratio a captione apud flamines quidem verbis planis separetur. — Haec formula adserendi mihi prorsus ex eodem videtur esse genere atque regis declarandi formula quam Liv. I, 18. significat. — Sed revertor ad fragmentum propositum quod mihi quidem videtur ad inaugurandi carmen referendum esse. Quod autem dicit ,si mihi auctor es verbi' ad eum deum sive ad eam deam refero cui in Vestali virgine inauguranda supplicabant. Namque etiam apud Livium[3]) dei ab auguribus invocati auctores esse praedicantur. — Postquam haec de inauguratione exposuimus restat ut pauca de exauguratione adiciamus. In locorum exaugurationibus omnes consentiunt[4]). Hominum autem exaugurationes si recte iudico Rubino[5]) videtur non admisisse. Recte vero statuit Marq.[6]) flamines virgines Vestales Saliosque etiam exaugurari potuisse[7]). Non minus autem quam inaugurationis etiam exaugurationis carmen sollemne videtur fuisse[8]). — Tertio die ante inaugurandus adesse iubebatur quae species auguralis ,condictio' appellabatur teste Servio ad Aen. III, 117. cf. Paul. p. 66.

Fragm. XV = Varro de L. L. VII, 8: in terris dictum templum locus augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus. Concipitur verbis non isdem usquequaque. In Arce sic: **,templa tescaque me ita sunto quoad ego caste lingua nuncupavero. Olla veter arbos quirquir est quam**

1) ib. — 2) cf. Böcking. Paud. I, 217. — 3) VII, 32. IX, 14. X, 40. — 4) Liv. I, 55. cf. Fest. 162^{b}. — 5) R. ll. 71. — 6) B. M. IV, 352. — 7) Inde apparet cur Cic. de leg. II, 8. 20. Dixerit ,sacerdotesque auguranto'. Spectabat fortasse et ad inaugurationem et ad exaugurationem. — 8) Cap. Aur. c. IV.

me sentio dixisse templum tescumque finito in sinistrum. Olla veter arbos quirquir est quam me sentio dixisse templum tescumque finito in dextrum. Inter ea conregione conspicione cortumione utque ea rectissime sensi . . .' Muell. p. 120. cf. eiusdem adn. crit.

Templum augurale ut dicit Varro locus est augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus. Postquam enim augur lituo regiones direxit sive terminavit[1]) opus erat ut et laevas et dextras partes quo spectarent accuratissime definiret signumque quo utraeque distinguerentur animo finiret. Formulam autem sollemnem qua hoc in Arce factum est in fronte exhibui neque dubitatio ulla potest esse quin hanc formulam auguralibus libris vindicare debeamus. — ,Templum' ad eandem radicem ,tem' pertinet atque Graecorum *τέμενος* quae quidem radix secandi significationem exhibet[2]). Significat igitur ,templum' ut recte Varro explicat locum finitum id est locum ab reliquis agris separatum atque discretum. Sequitur deinde vox ,tesca' quae et etymologos et antiquarios valde exercet. Ac primum quidem vox ipsa hoc loco in nullo exstat codice[3]) sed ex Festo restituta est quamquam dubitari non potest quin revera in formula fuerit. Triplex autem est apud veteres antiquarios huius vocis interpretatio siquidem recte Festus a criticis restitutus est. cf. p. 356[a]. M. Ac mihi quidem cum Nisseno[4]) ea interpretatio maxime placet qua tesca definiuntur esse loca augurio designata quo sit termino finis in terra auguri. De etymo huius vocis de quo nondum certi quicquam constat cf. Varronem ll. Acron. ad Hor. epp. I, 14. 19. Mommsenum ,U. D.' p. 300. Huschkium ,die Oskischen Sprachdenkmäler' p. 202. Pottium apud G. Curtium in etym. Gr. p. 224. — veter arbos cf. Enn. ann. 17. Acc. trag. 481. — quirquir cum rhotacismo

1) cf. Liv. I, 18. et fragm. XI. — 2) cf. Curtii etymol.[4] 241. significatio atque origo vocis templum luce clarius apparet ex Festo s. v. qui templum etiam tignum transversum dici tradit (*ξύλον ἐκτετμημένον*). — 3) codd. testaque tecta texta. — 4) in libro qui inscriptus est ,das Templum. antiq. Untersuchungen von H. Nissen. Berl. 1869.' p. 21.

quem dicunt pro quisquis. — Haudquaquam de duabus diversis arboribus cogitandum est in qua sententia videtur esse Varro sed insequentia verba eodem modo repetita ad eandem arborem pertinent. Apparet hoc e verbis Livianis I, 18: ‚signum contra quoad longissime conspectum oculi ferebant animo finivit.' Arbor autem illa sine dubio in extremo decumano fuisse cogitanda est pro signoque erat atque termino quo augur dignoscere posset quae signa aut a dextris aut a sinistris partibus missa essent. Quod autem arborem potissimum inducit ex eo tempore videtur repetendum esse quo arbores etiamtunc pomerium ambiebant. Minorum quidem oppidulorum pomeria etiam posterioribus temporibus arbores ambiisse scimus ex Apul. Mad. met. II, 1. — ‚quam me sentio dixisse' cf. M. E. II, 134. — ‚finito in sinistrum' id est in partes septentrionales [1]). Temere Muellerus ll. vertit ‚soll mein Templum und geweihtes Land gegen die Morgenseite begrenzen' quamvis alioquin in inauguratione quidem augurem orientem versus prospexisse concedat. Denique augur formulam sic concludit: ‚inter ea conregione conspicione cortumione atque ea rectissime sensi' . . . Iam Muellerus perspexit clausulam non esse plenam sed deesse quaedam quae supplet verbis ‚templum meum finio'. Malo equidem ‚templi partes finio'. Namque quomodo ad totum templum referri possint verba supplenda equidem non assequor. Agitur enim et apud Livium et in ipsa formula de laevis et dextris partibus in quae decumano designato totum templum dividitur. Idem quoque ex ipsius clausulae exordio perspicitur ‚inter ea' id est inter laevas et dextras partes. Quod autem dicit ‚conregione conspicione' non male Muellerus vertit ‚durch Linienziehung, durch Ueberschauung'. Praepositio ‚con' enim a qua utrumque vocabulam incipit eo pertinet quod augur in signis observandis decumanum quem lituo descripserat semper sibi ante oculos ponere debebat quod fieri non poterat nisi inde a signo constituto usque ad sedem

---

1) cf. Liv. I, 18.

suam oculos animumque semper transferebat. Adiectum autem est tertio loco ,cortumione' quod Varro ll. ad cordis visum rettulit assentientibus interpretibus qui vertunt ,durch innere Betrachtung'. Eiusmodi autem explicatio si quid video nullo modo satisfacere potest. Atque ut quid ego sentiam dicam mihi quidem eandem praepositionem a qua duae superiores voces incipiunt etiam in hac voce fuisse valde probabile est. Fortasse si coniectura permissa est vox cortumio a radice χερ repetenda est quae significationem habet capiendi saepiendi[1]; quod syllaba ,tu' ad hanc radicem accessit cf. for-tu-na = hor-tu-mio. De ceteris plane haereo. Nullam enim aliam vocem inveni quae in syllabas ,mio' desinat. Compositam autem esse puto hanc vocem ex hac radice et ex praepositione ,con' quae deinde cum radice coaluit ut vox cohors in cors contracta est. Verto igitur hanc vocem ,durch Abgrenzung' sc. sinistrarum partium a dexteris. — Pertinet autem haec formula templi concipiendi solum ad auguraculum quod erat in Arce[2]. In aliis autem templis alias formulas usitatas fuisse Varro tradit[3] quas aeque atque hanc formulam libris auguralibus vindicare poterimus. Denique si auspiciorum genera nosse iuvat in quibus haec formula usu venerit imprimis huc pertinent inaugurationis auspicia teste Livio I, 18. Deinde etiam eos qui in bellum erant profecturi in Arce auspiciis operam dedisse testis est Festus 241ᵃ. s. v. praetor. Auspicia autem ea quae magistratus ineuntes solebant captare, non in Arce[4] sed in foro captabantur[5].

Fragm. XVI = Cic. de div. II, 34. 71.: **Q. Fabi te mihi in auspicio esse volo** respondet: **Audivi.** Illi autem qui in auspicium adhibetur cum ita imperavit is qui auspicatur: **Dicito si silentium esse videtur** nec suspicit nec circumspicit, statim respondet silentium esse videri.

---

1) cf. hor-tu-s co-hor(t)s apud G. Curtium etym. 200. — 2) Paul. p. 18. — 3) concipitur non verbis isdem usquequaque. — 4) ut fortasse possit conici ex Ovid. epp. ex Ponto IV, 4. 27. — 5) teste Cassio Dione 58. 5.

cf. M. E. II, 190. B. M. II, 3. 77. 79. Mezger apud Paulyum II, 1174. 1177. L. L. H. I, 296. M. R. S. I, p. 9.

Pertinet hoc fragmentum ad auspicia pullaria quae observasse augures Romanos testis est Paulus p. 260 s. v. quinque. Attamen sero demum ea auspicia inducta esse perspicitur ex Cic. de div. II, 35. Huc accedit quod in historiae monumentis non nisi ex tempore bellorum cum Samnitibus gestorum eius auspicii exempla exstant[1]). Ac primum quidem solum in bellis gerendis auspicia pullaria in usu fuisse videntur[2]). Quomodo autem in castris observata sint perspici quodammodo licet ex interprete Vergiliano ad Aen. X, 241. quem locum valde mutilatum quoad eius fieri poterat restituit Mommsenus R. S. I, 10. adn. 5. cf. Keilius M. Valerii Probi comment. Hal. p. 104. Paullatim autem in bellis gerendis auspicari desierunt[3]). Itaque factum esse videtur ut auspicia pullaria praesertim cum plerumque apud auspicantem esset quid portendi eis vellet[4]) ad comitia populi Romani habenda captarentur teste Servio ad Aen. VI, 198.[5]) Ciceronis quidem temporibus ad comitia habenda nullis omnino aliis auspiciis uti poterant nisi pullariis; namque auspicia quidem ex avibus eo tempore captari desita esse apparet ex Cic. de div. II, 33. 71. Itaque Mezgero apud Paulyum p. 1174. qui docet: ‚Nur selten war in Tributcomitien ein Tripudium angewendet, was fortwährend von Augurn besorgt werden musste‘ nullo modo assentiri possum. Quod autem attinet ad formulam sine dubitatione eam libris auguralibus vindicare debemus in qua sententia etiam Grosserus est[6]). Est autem tota formula stipulatio quaedam inter magistratum et augurem sive pullarium qua augur a magistratu in auspicium adhibetur. Atque primum quidem magistratus imperat: ‚Q. Fabi te mihi in auspicio esse volo.‘ Dicuntur ergo augures magistratibus ‚in auspicio‘ sive ‚in

---

1) L. L. H. I, 296. adn. 6. — 2) M. R. S. I, 9. adn. 5. — 3) Cic. de div. II, 36. — 4) M. R. S. I, 9. adn. 4. — 5) cf. Val. Max. I, 4. 2. I, 6. 7. — Plut. Tib. Gr. 17. Iul. Obs. 24. — 6) de spectione et nuntiatione p. 13. adn. 32.

auspiciis' esse cf. Cic. de rep. II, 9. 16. Cic. ad Att. II, 12. 1. Messallam apud Gellium XIII, 15. Similiter calatores quoque auguribus in auspicio esse dicuntur a Cic. de leg. III, 19. Eodem pertinet quod pullarii auspicio ,adesse' sive ,interesse' dicuntur a Liv. X, 40. Denique etiam verba mittendi et adhibendi in hoc genere sollemnia erant cf. fragm. et Liv. X, 40. — Quid sit silentium optime explicat Cic. de div. II, 34. 71.: id enim silentium dicimus in auspiciis quod omni vitio caret.' cf. Fest. 351ª. 348ª. Quanta apud augures silentii cura fuerit perspici licet ex his locis: Fest. 347ᵇ. Paul. 64. s. v. caduca auspicia. Plin. Nat. Hist. VII, 57. (cl. Val. Max. I, 1. 5. et Plut. v. Marc. V.). Plut. quaest. Rom. vol. VII, 134. R.: *διά τί τῶν ἐπ' οἰωνοῖς ἱερέων* sqq. Plut. v. Numae 14.

c. Fragmenta ad artem augurandi referenda.

Fragm. XVII. = Serv. ad Aen. IX, 20.: Sane chasma est ita enim Plinius vocat disruptio et quidam coeli recessus. In auguralibus libris inter ostenta etiam coelum discisse dicitur.

adn. cr. sine dubio legendum est discessisse sive fortasse forma breviore ,discesse' ut apud Hor. serm. II, 3. 169. divisse pro divisisse.

cf. Cic. de div. I, 43. 97.; 44. 99.; II, 28. 60. Graeco vocabulo caeli discessus chasma appellabatur cf. Plin. II, 26. 26. Sen. quaest. nat. I, 14. Exempla quaedam adscribo Liv. XXII, 1. 18. Iul. Obs. 112. Plut. v. Luculli 8.

Fragm. XVIII = Serv. ad Aen. I, 398.: multi tamen asserunt cycnos inter augurales aves non inveniri neque auguralibus commentariis eorum nomen illatum. Sed in libris reconditis lectum esse posse quamlibet avem auspicium attestari maxime quia non poscatur.'

Attestari cf. Paul. p. 12. s. v. attestata et Serv. Aen. II, 691. Fortasse huc trahenda est ea species augurii quae ,consensio' appellatur apud Servium III, 60. quamquam etiam ad augures sive pullarios consentientes pertinere potest.

Fragm. XIX = Serv. ad Aen. III, 537.: sane figurate equos omen. diversa enim significatione id omen dixit. Sed multi de libris augurum tractum tradunt: **iuge** enim eis dicitur **augurium** quod ex iunctis iumentis fiat. Observatur enim ne prodituro magistratui disiunctis bobus plaustrum obveniat . . . Cum autem dicit iugo veram significationem iugetis facit.

cf. Paul. 77.: iuges auspicium est quum iunctum iumentum stercus fecit. cf. Cic. de divin. II, 36. 77. His locis inter se comparatis atque conlatis facile apparet formam ‚iuge' quae exstat apud unum Servium[1]) cum facile ex ‚iuges' oriri potuerit abiciendam esse. Denique quod Mezgerus[2]) in loco Cicer. (de div. II, 36. 77.) interpretando de iumentis a plaustro solvendis cogitat quodque totum praeceptum ad iumentorum salutem pertinere censet alterum verum non est[3]) alterum magis posuit quam probavit.

Fragm. XX = Cic. de nat. deor. II, 4. 11.: post autem e provincia litteras ad collegium misit (Ti. Sempronius) se cum legeret libros recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse hortos Scipionis quod cum pomerium postea intrasset habendi senatus causa in redeundo cum idem pomerium transiret auspicari esset oblitus itaque vitio creatos consules esse.

adn. cr. verba ‚hortos Scipionis' recte Mommsenus R. S. I, 28. adn. 2. defendit.

Quod pertinet ad rem cf. de div. I, 17. 33. II, 35. 74. ad Qu. fr. II, 2. 1. Val. Max. I, 1. 3. Victor de vir. ill. 44. Paullo aliter rem narrat Plutarchus in Marc. V.: *‚Τιβέριος οὖν Σεμπρώνιος ἀνὴρ δι' ἀνδρείαν καὶ καλοκἀγαθίαν οὐδενὸς ἧττον ἀγαπηθεὶς ὑπὸ Ῥωμαίων ἀπέδειξε μὲν ὑπατεύων διαδόχους Σκηπίωνα Νασικᾶν καὶ Γάϊον Μάρκιον. ἤδη δ' ἐχόντων αὐτῶν ἐπαρχίας καὶ στρατεύματα ἱερατικοῖς ὑπο-*

---

1) ac ne facile apud eum quidem cf. ‚iugetis' quod habet in fine. — 2) in encycl. Pauly. II, 1174. — 3) iubentur enim iumenta diiungere non solvere.

μνήμασι ἐντυχὼν εὗρεν ἠγνοημένον ὑφ' αὑτοῦ τι τῶν πατρίων. Ἦν δὲ τοσοῦτον. ὅταν ἄρχων ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος ἔξω πόλεως ἔχων οἶκον ἢ σκηνὴν μεμισθωμένην ὑπ' αἰτίας τινὸς ἀναγκασθῇ μήπω γεγονότων σημείων βεβαίων ἐπανελθεῖν εἰς πόλιν ἀφεῖναι ἐχρῆν τὸ προμεμισθωμένον οἴκημα καὶ λαβεῖν ἕτερον ἐξ οὗ ποιήσεται τὴν θέαν αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς. Τοῦτ' ἔλαθεν ὡς ἔοικε τὸν Τιβέριον καὶ δὶς τῷ αὐτῷ χρησάμενος ἀπέδειξε τοὺς εἰρημένους ἄνδρας ὑπάτους. ὕστερον δὲ γνοὺς τὴν ἁμαρτίαν ἀνήνεγκε πρὸς τὴν σύγκλητον.' Neque tamen ita statuere debemus Plutarchum falsa tradidisse. Sed res ita potius se habet ut Plutarchus cum auctoritatem Romanorum secutus sit minime contemnendus esse videatur. Itaque rem ita facillime expediemus ut utrumque testimonium coniungamus praeceptumque fere tale in libris auguralibus fuisse persuasum habeamus: ,Si consul cum comitia magistratibus rogandis habiturus est tabernaculum ceperit et antequam certa signa spexerit in urbem redierit in redeundo cum pomerium transit auspicari eum oportet modo ad idem tabernaculum revertatur; sin minus auspicatus erit aliud tabernaculum capere eum oportet.' — Non male Mommsenus [1]) ea auspicia quibus Ti. Graccho opus fuerat peremnia [2]) fuisse censet secutus Festum 250. s. v. Petronia.

Fragm. XXI = Varro L. L. VII, 51.: libri augurum pro tempestate **tempestutem** dicunt supremum augurii tempus.' — Apparet ex hoc apospasmatio auspicandi tempus fuisse in complures partes divisum.

Fragm. XXII = ib. V, 21.: terra in augurum libris scriptum cum r uno **tera**.

Fragm. XXIII = Fest. 165.: **negritu** in auguris significat aegritudo.

B. Fragmenta ad ius publicum referenda.

Fragm. XXIV = Cic. de nat. deor. II, 25. 65.: hunc (Jovem) etiam augures nostri cum dicunt **Jove fulgente**

1) R. S. I, 22. adn. 5. — 2) cf. infra: peremnia auspicia.

tonante [sc. comitia populi habere nefas] dicunt enim caelo fulgente tonante.

adn. cr. fulgente et tonante B. iovem fulgentem tonantem P.

cf. R. U. 75. B. M. II, 3. 76. adn. 276. M. R. S. I, 4. seq. — Supplevi hoc fragm. ex commentariis auguralibus quos laudat Cicero de div. II, 18. 42.: itaque in nostris commentariis scriptum habemus: ‚Jove tonante fulgurante comitia populi habere nefas.‘ cf. or. Phil. V, 3. 7. in Vat. VIII, 20. Cic. de div. II, 18. 43.; 35. 74. Quod vero Cicero in Vatiniana hunc usum ad antiquissima Romuli tempora refert prorsus recte iudicat. Namque non solum ex Romuli temporibus sed etiam ex illa aetate repetendus est quo Graeci et Itali etiamtunc una erant quod inde perspicitur quod etiam apud Graecos similia praecepta in usu erant de qua re iam praefationis initio disputatum est[1]). Pertinent autem fulmen atque tonitru ad caelestia auguria quae vocantur[2]). Neque tamen ut recte perspexit Mommsenus[3]) solum fulgur atque tonitru inter caelestia auguria numerabantur, sed etiam imber et grando[4]) etc. Caelestia auguria ab auguribus etiam maxima appellabantur[5]). Denique enumero locos aliquot quibus eius modi auspiciis comitia turbata esse comprobatur: Liv. XXX, 39. XL, 42. XXIII, 31. (cf. Plut. Marc. 12. et R. U. p. 69. et M. R. S. I, p. 5. adn. 4.) Val. Max. VIII, 1. 4. (aliter Cic. de nat. deor. II, 3. 7.) Etiam plures collegit B. M. II, 3. 114. adn. 455.

Fragm. XXV = Fest. 333[a]: **spectio** ponitur in auguralibus pro aspectione et nuntiatio quia omne ius sacrorum habent auguribus spectio dumtaxat quorum consilio rem gererent magistratus non ut possent impedire nuntiando quaecunque vidissent satis spectio sine nuntiatione data est ut ipsi auspicio rem gererent. non ut alios impedirent nuntiando.

---

1) cf. praeterea R. U. 75. adn. 1. — 2) Paul. 64. — 3) R. S. I, 4, adn. 3. — 4) cf. Serv. VII, 141. cl. IX, 630. — 5) Serv. II, 693. Cass. D. XXXVIII, 13.

Adn. cr: locus sane salebrosus atque difficilis: nuntiatio] cod: nuntiato. auguribus] cod: auxguribus. quaecunque vidissent] cod: quae cum vidissent.

M. E. II, 112. Hartungius de rel. Rom. I, 111. R. U. 58. 2. B. M. II, 3. 73. Grosserus ‚de spectione et nuntiatione' Vratisl. diss. 1851. L. L. H. I, 293. M. R. S. I, 32.

Exhibui Festi locum sane difficillimum nullis interpunctionibus consulto distinctum. Optime mihi quidem locum videtur tractasse Rubino vir doctissimus qui hoc modo loco mederi studet: ‚spectio ponitur in auguralibus pro aspectione[1]) . . . spectio] et nuntiatio qui omne ius auspiciorum[2]) habent. Auguribus spectio dumtaxat quorum consilio rem gererent magistratus non ut possent impedire nuntiando quaecumque[3]) vidissent. Aliis[4]) spectio sine nuntiatione data est ut ipsi auspicio rem gererent non ut alios impedirent nuntiando'. Tria igitur ut apparet genera spectionis Rubino distinguenda esse existimavit: unum maximae spectionis quod est coniunctum cum nuntiatione, alterum minoris spectionis quod caret nuntiatione, tertium spectionis cuiusdam ad augures pertinentis. Haec tria genera sane sagacissime ex Festo enucleavit. Namque quod initio lacunam esse statuit recte fecit. Etenim perspicuum est expositionis exordium non a particula ‚et' incipere potuisse. Atque etiam illud mihi videtur rectissime statuisse quod ante vocem ‚nuntiatio' cum Muellero ‚spectio' inseruit pauculaque alia quaedam praeterea in lacuna fuisse censet veluti de vocis spectionis usu vel quod verisimilius est de eis magistratibus quorum fuit ‚spectio cum nuntiatione'. Minus autem bene etiam rationem Muelleri qui inserit ‚est' ferri posse contendit, quod propterea falsum est quia in sequentibus coniunctivus imperfecti exstat qui necessario perfectum aliquod in antecedentibus requirit.

1) hic unum versum intercidisse suspicatur aut si minus hoc placeat cum Muellero legendum proponit: spectio et nuntiatio est iis qui etc. consules etc. intellegens. — 2) cum Scal. pro ‚sacrorum'. — 3) quae cum vidissent cod. — 4) satis cod.

Quod cum ita sit totum versum excidisse valde probabile est. Rubinonem secutus est Beckerus[1]) in eo solum discrepans quod in ultimo enuntiato vocem ‚aliis' latius patere statuit quam sit aequom. Itaque Beckero in eo prorsus adsentior quod etiam finem huius loci lacunosum esse opinatur. In hac autem lacuna eos nominatim enumeratos fuisse puto quibus spectio sine nuntiatione data erat[2]). Rubinonis autem argumenta impugnare conatus est adolescens Vratislaviensis Grosserus in dissertatione inaugurali quam scripsit de spectione et nuntiatione. Sed Grosserus qui emendationem paene immanem protulit si quid video Rubinonis opinionem nullo modo labefactare potuit. Mommsenus quoque in eo libro quem de republica Romanorum scripsit vehementius secuisse mihi videtur quam ut salutem loco attulisse putandus sit. Disputat enim I, p. 32 in hunc modum: Ausser Cic. Phil. II, 32. 81. welche Stelle den Hauptunterschied der magistratischen Spectio und der auguralen nuntiatio scharf und klar auseinandersetzt, gehört hierher noch die folgende ihrer Verderbniss wegen schwierige und von Rubino und Andern nicht glücklich behandelte Stelle des Fest. 333: ‚spectio in auguralibus ponitur pro aspectione. et nuntiatio quia omne ius sacrorum habent auguribus competit (!) quorum consilio rem gererent magistratus hos (!) ut possent impedire nuntiando quaecumque vidissent. at his spectio sine nuntiatione data est ut ipsi auspicio rem gererent non ut alios impedirent nuntiando'. Namque si alibi[3]) extrema verba ‚at his spectio' sqq. respicere ad legem Clodiam anno a. u. c. 696 latam censet qua lege non minus audacter obnuntiationem magistratuum sublatam augurum retentam esse fingit vel propterea falsum est quod tota Festi explicatio ex auguralibus libris desumta esse videtur qui toto caelo a legis Clodiae et tempore et natura discrepant. — Itaque ni omnia me fallunt Rubino Festi locum ita tractavit ut et satisfaciat loco Ciceroniano (or. Phil. II, 32. 81.) et ex

1) B. M. II, 3. 72. adn. 261. — 2) R. U. p. 86. — 3) R. S. I, p. 35. adn. 2.

Festo ipso nova quaedam depromserit quae omnes numeros veritatis explere videntur. — Ceterum augurales libri etiam alia praecepta tradidisse videntur quibus nominatim ei significabantur qui spectionem non habebant ut apparet ex Varronis libro quem scripsit de ling. Lat. VI, 22.: et quod in auspiciis distributum est qui spectionem habent qui non habeant'.

Fragm. XXVI = Macrob. Sat. I, 16. 37.: vitabant etiam feriis (sc. dies ad viros vocandos) sicut Varro in augurum libris scribit in haec verba: **,Viros vocare feriis non oportet si vocavit piaculum esto'.**

Nullo modo dubium esse potest quin hoc praeceptum auguralibus libris attribuamus. Namque etiamsi hoc fragmentum a Macrobio e Varronis antiquitatum libro tertio quem de auguribus scripsit desumtum esse statuimus attamen totius praecepti color verborumque sollemnium gravitas efficit ut Varronem auguralium librorum praeceptum protulisse conici oporteat. Quamquam ne ego quidem locum sanum esse putaverim. Namque pluralis numerus ,augurum libri' nullo modo explicari potest. Unum enim librum tertium rerum divinarum Varro de auguribus scripsit neque aliorum eiusdem de disciplina augurali librorum ulla vestigia supersunt. Itaque adsentior Merkelio v. d. qui in proll. Fast. Ovid. 115. pro ,in' ,inesse' scribendum proponit.

Quod in libris viri vocari vetantur pertinet ad comitia centuriata populi Romani cf. L. L. H. I, 306—310. Adscribo locos aliquot quibus hoc praeceptum iuris auguralis illustrari possit: Liv. XXXIV, 55. Cass. Dio XXXVIII, 6. Cic. ad Qu. fr. II, 6. 4. (II, 4. 4. Bait.) ad fam. VIII, 11. 1. Extremis autem liberae reipublicae temporibus cum totius religionis tum disciplinae auguralis auctoritas prorsus labefactata est. Videmus enim C. Manilium tribunum plebis cum anno 687/67 perniciosissimam legem ferret ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset[1]) nihilo secius tulisse

1) Cass. D. XXXVI, 25. cf. L. L. H. III, 214.

quamvis in eum ipsum diem Compitalia concepta essent[1]). Neque tamen diu ea lex stare poterat. At vero C. Iulii Caesaris leges quas ipsis diebus feriatis tulerat nemo tam potens erat qui rescindere posset.

Fragm. XXVII = Varro L. L. V, 37: ut nostri augures publici disserunt, agrorum sunt genera quinque: Romanus Gabinus Peregrinus Hosticus Incertus. Romanus dictus unde Roma ab Romulo Gabinus ab oppido Gabis. Peregrinus ager pacatus qui extra Romanum quod uno modo in his secuntur auspicia dictus Peregrinus a pergendo id est a progrediendo eo enim ex agro Romano primum progrediebantur quocirca Gabinus quoque Peregrinus sed quod auspicia habet singularia ab reliquo discretus. Hosticus dictus ab hostibus. Incertus is ager qui de his quattuor qui sit ignoratur'.

M. E. II, 121. B. M. IV, 350. adn. 31. 353. M. R. S. I, 23.

Distinguebantur autem haec quinque genera agri ab auguribus sine dubio propter varietatem auspiciorum. Ac primum quidem locum tenet ager Romanus quo priscis temporibus imperatores redire oportebat si repetere auspicia opus erat. cf. Liv. XXII, 1. 7. VIII, 30. 32. X, 3. XXIII, 19. 36. — Sed cum post bellum Punicum secundum imperium longius prolatum esset institutum est ut unus locus de agro captivo Romanus fieret quo dux si auspicia repeti opus esset rediret teste Servio II, 178. De agro Gabino Gabinorumque singulari condicione adeas M. E. II, 121. De Peregrino cf. Fest. 245. 253.

Fragm. XXVIII = Cic. de rep. I, 40. 63.: Nam dictator quidem ab eo appellatur quod dicitur. Sed in nostris libris vides eum Laeli **magistrum populi** appellari'. cf. Sen. ep. 108. Cic. de fin. III, 22. 75. Varro L. L. V, 82. VI, 91. Fortasse huc pertinet Saturnius ille apud Velium Longum de orthogr. 2234 P. quem Mercklinus in Philologi vol. IV. commentariis consulum attribuit:

Oriéns consúl magístrum poúpuli dícat.

---

1) Asc. ed. Or. 65. cf. L. L. H. 11.

Fragm. XXVIIII = Fest. 161.: Maximum praetorem dici putant ali eum qui maximi imperi sit ali qui aetatis maximae. Pro collegio quidem augurum decretum est quod in Salutis augurio **praetores maiores** et **minores** appellantur non ad aetatem sed ad vim imperi pertinere'. — De huius fragmenti tempore vide praef. p. 11. Augures maiorum praetorum appellationem recte ad consules minorum ad praetores rettulisse iam supra demonstravi. Quod consules in fragm. proposito praetores appellantur cf. L. L. H. I, 496. De augurio Salutis cf. B. M. IV, 354. et Prellerum in mythol. Rom. p. 601.

Fragm. XXX = Fest. 253b: **Paludati** in libris auguralibus significat ut ait Veranius armati ornati'. Cf. Varro L. L. VII. 37. Pertinet hoc apospasmation ad ea diciplinae auguralis praecepta quae observare debebat imperator cum ad bellum exibat[1]). Copiam locorum congessit M. R. S. I, p. 96. adn. 3—6. Unum saltem locum adscribere liceat quem non protulit Mommsenus interpr. Serv. ad Aen. X, 241: silentio deinde facto residebat et dicebat (sc. imperator): ,equites et pedites nomenque Latinum . . . les cincti armati paludati' sqq.

Fragm. XXXI = Cic. de rep. II, 31. 54.: Provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri significant nostri etiam augurales'. Cf. Sen. ep. 108.

Minus bene Mezgerus[2]) hoc fragmentum ad nescio quam multam refert quam augures irrogare potuisse arbitratur si quis inaugurandus tertio die ad inaugurandum non adfuisset cf. p. 30. Verum eos vidisse puto qui hoc fragmentum ad Horatii provocationem rettulerunt[3]). Itaque in libris auguralibus praeceptum infuisse verisimile est pertinens ad ea auguria quae in expiando aliquo facinore captari oportebat cf. Fest. 297. Fortasse etiam inter praecepta ad ius pomerii spectantia provocationis Horatianae mentio fieri poterat. Namque in pomerii ambitu verberari nemo debuisse videtur

1) M. R. S. I, 25. — 2) in encyclop. Paul. II, 1176. — 3) Liv. I, 26. Dion. III, 22. Fest. 297.

secundum legis vetustae quae in provocatione Horatiana usu veniebat formulam: ‚verberato vel intra pomerium vel extra pomerium'. Liv. I, 26.

II. Fragmenta commentariorum et decretorum.

A. commentarii augurales.

Fragm. I = Cic. de div. II, 18. 42.: Itaque in nostris commentariis scriptum habemus

‚Iove tonante fulgurante comitia populi habere nefas'.

adn. cr.: tonante et fulgur. H. haberi Erlang.

De eodem praecepto iam supra pag. 38. in fragmento XXIV librorum auguralium explicando disputatum est. — Si Ciceronem verbo tenus utrumque fragmentum protulisse persuasum habemus, nostra sententia quam de discrimine inter libros et commentarios intercedente pag. 14 aperuimus, mirum in modum confirmatur atque sustentatur.

Fragm. II = Fest. 317^{b}: sanqualis avis a[ppellatur quae in com]mentariis augura[libus ossifra]ga dicitur quia in [Sangi dei] tutela est.

Non dubito quin recte Ursinus suppleverit ex Paul. 316. Etiam hoc fragmento discrimen quod intercedit inter libros et commentarios valde confirmatur. Nam ‚sanqualis' appellatio quin in libris auguralibus fuerit ex eis testimoniis quae in altera particula huius libelli erunt proferenda (imprimis ex Appii libris apud Festum 197 s. v. oscines) dubium esse non potest. Commentarii autem eis scilicet temporibus compositi quibus quae ea avis esset non amplius accurate sciretur sanqualem avem eandem esse atque ossifragam interpretati sunt cf. Plin. N. H. X, 7. 20.

Fragm. III = Cic. de div. II, 36. 77.: Huic simile est quod nos augures praecipimus ne iuges auspicium obveniat ut iumenta iubeant diiungere'. cf. fr. XIX, p. 36.

Fieri nullo modo potest ut hoc praeceptum libris attribuamus sed potius si quid video eo tempore ortum esse debet quo iam auguribus ipsis nimia disciplinae ambages taedio esse coepit. Itaque non dubito hoc praeceptum com-

mentariis vindicare. (Fr. IV.) Idem fortasse de eo praecepto auguralis disciplinae valet quod tradit Plin. H. N. 28. 2. 17.: in augurum disciplina constat neque diras neque ulla auspicia pertinere ad eos qui quamque rem ingredientes observasse ea negaverint, quo munere divinae indulgentiae maius nullum est'. Etenim si hoc praeceptum umquam litteris mandatum fuit, facere non possum quin commentariis vindicem quippe quibus illa veteris disciplinae severitas quodammodo mitigata ac remissa sit. cf. Sen. quaest. II, 32.

B. decreta auguralia.

Fragm. I = Cic. de domo XV, 39: Venio ad augures quorum ego libros si qui sunt reconditi non scrutor, non sum in exquirendo iure augurum curiosus: haec quae una cum populo didici quae saepe in contionibus responsa sunt novi: negant fas esse agi cum populo cum de caelo servatum sit'. cf. §. 40: ,tu augures produxisti a te interrogati augures responderunt cum de caelo servatum sit agi cum pogulo non posse'.

cf. R. U. 76. adn. 4. B. M. II, 3. 80. seqq. L. L. H. I, 295. M. R. S. I, 5.

Serv. ad Aen. IV. 167: actio perimitur cum de caelo servatum est'.

Ad hoc praeceptum iuris auguralis quod in decretis traditum esse videtur illustrandum imprimis confert locus Cassii Dionis cui primum Rubino lucem attulit XXXIII, 13. Cohaeret autem hoc praeceptum arte cum eo praecepto quod in fr. XXIV, p. 38. enarratum est. Namque si qui magistratus populi Romani sese de caelo servasse dicebant fulmen sibi apparuisse declarabant[1]). Iove autem fulgente tonante cum populo agi nefas erat. Etenim quod interdum pronuntiant se de caelo servaturos esse, non hoc edicto ipso comitia prohibent aut vitiant, sed singulis quibusque diebus eos in campum descendere obnuntiareque necesse erat quod

1) B. M. II, 3. 83. M. R. S. I, 6. adn. 2.

luce clarius perspicitur ex epistola Ciceronis ad Atticum data IV, 3. 3. — Ad hoc ius de caelo servandi pertinent leges Aelia et Fufia quas v. d. L. Langius in commentatione academica (Gissae 1861) restituere conatus est. Denique adscribo locos aliquot quibus hoc praeceptum iuris auguralis illustretur: Cic. de har. resp. XXIII. 48. cf. L. L. H. III, 278. Cic. in Vat. VI, 15. cf. VII, 17. — ad Att. II, 16. 2. de domo XV, 39. etc. pro Sest. XXXVI, 78. cf. L. L. H. III, 304. — Cic. pro Sest. XXXVII, 79. cf. XXXVIII, 83. — Cic. pro Sest. LXI, 129. cf. L. L. H. III, 306. — Cic. ad Att. IV, 3. 3. cf. L. L. H. III, 310. Drum. H. R. II, 318. — Cic. ad Att. IV. 9. 1. cf. L. L. H. I, 671. et II, 487. — Cic. ad Att. IV, 16. 7. ad Qu. Fr. III, 3. 2. cf. L. L. H. II, 449 et III, 342. — App. civ. III, 7. cf. L. L. H. III, 488 — Cic. Philipp. II, 33. 83. cf. L. L. H. III, 467. —

Fragm. II = Liv. IV, 31.: et cum ibi quoque religio obstaret ne non posset nisi ab consule dici dictator augures consulti eam religionem exemere‘.

Factum est igitur augurum decretum etiam a tribuno militum consulari potestate dictatorem dici posse. cf. B. M. II, 2. 157. IV, 348. L. L. H. I, 560.

Fragm. III = Cic. de div. II, 35. 73.: quo (sc. augurio pullario) non esse usos argumento est quod decretum collegii vetus habemus omnem avem tripudium facere posse.

Fragm. IV = Fest. 161.: pro collegio quidem augurum decretum est quod in Salutis augurio praetores maiores et minores appellantur non ad aetatem sed ad vim imperi pertinere‘. cf. supra fr. XXVIII p. 43.

Fragm. V = Liv. XLI, 18.: Valerium auspicato sortitum constabat quod in templo fuisset in Petillio id vitii factum postea augures responderunt quod extra templum sortem in sitellam in templum latam foris ipse . . . oporteret‘. cf. M. R. S. I, 81.

De singularibus verbis auguralibus.

Praeter ea fragmenta atque apospasmatia quae adhuc enumeravi exstant multae sententiolae atque verba singularia quae etiamsi non disertis verbis libris attribuantur attamen dubium esse non potest quin inibi fuerint. Itaque superest ut haec verba enumerem paucis tantum illustrandi causa additis.

A. Verba sollemnia ad ius sacrum referenda.

Atque primum quidem de variis generibus atque nominibus auspiciorum dicendum est. Divisa enim sunt omnia auspicia in duo genera **oblativa** et **impetrativa** teste Servio (ad Aen. VI, 190.) qui utrumque genus sic explicat: auguria aut oblativa sunt quae non poscuntur aut impetrativa quae optata veniunt'. Ceterum verbum **impetriendi** cum in extorum consultatione tum in avium observatione sollemne videtur fuisse[1]. Dein vero pergo ad notissima illa quinque genera auspiciorum a Paulo enumerata quae iam pluribus locis commemoravi p. 260.: quinque genera signorum observant augures ex caelo ex avibus ex tripudiis ex quadrupedibus ex diris'.

I. Auspicia ex caelo[2].

De caelestibus auspiciis iam supra disputatum est in Fragm. XXIV (p. 38.) explicando. Ibidem illud auspicium cum de caelo sit verbo augurum **maximum**[3] appellari commemoravi. Maximum autem propterea vocatur quod magis ratum est quam cetera signa[4].

II. Auspicia ex avibus.

---

1) Cic. de div. I, 16. 28. Plaut. As. II, 1. 11. (295). Paul. 108. — 2) M. R. S. I, 4. seqq. — 3) Aliter Messalla apud Gell. XIII, 15. maximorum auspiciorum appellationem ad magistratus maiores refert. — 4) Similiter aquilae significationes cum magis ratae sint quam ceterarum avium ,maiora' auspicia appellabantur. cf. Serv. ad Aen. III, 374. Denique si Numa a Cicerone (de rep. II, 14. 26.) maiora auspicia invenisse dicitur non dubito ad auspicia caelestia referre.

Varro L. L. VI, 82.: et quod in auguriis augures etiamnunc dicunt **avem specere**.

Fest. 289[a]: **respicere avem** est in auspicando unde quis avem prospexit cum eodem revertitur. cf. 289[b] **respici avis** sqq.

Paul. 276: **remores aves** in auspicio dicuntur quae acturum aliquid remorari compellunt.

ib. 109.: **inebrae aves** quae in auguriis aliquid fieri prohibent et prorsus omnia inebra appellabantur quae tardant vel morantur agentem [1]).

Plin. X, 13. 17.: **cliviam** quoque avem ab antiquis nominatam animadverto ignorari [2]).

Paul. 16.: **arcula** dicebatur avis quae in auspiciis vetabat aliquid fieri.

ib. 7.: alter et pro non bono ponitur ut in auguriis **altera** quum appellatur avis quae utique prospera non est. Sic alter nonnumquam pro adverso dicitur et malo [3]).

Fest. 371.: **Voisgram** avem quae se vellit. Augures hanc eandem **fucillantem** appellant.

Paul. 21.: **Admissivae** aves dicebantur ab auguribus quae consulentem iuberent.

Fest. 339[a]: **Sinistrae** aves **sinistrumque** sive **sinistimum** auspicium id quod sinat fieri [4]).

Ad avium observandarum [5]) loca etiam augurii **stativi** appellatio pertinere mihi videtur apud Serv. III, 84. X, 423. Huc eodem traho **praepetes locos** quos ab auguribus vocatos esse testis est Gellius VII, 6. (H.) et **supervaganeam** et **circaneam** aves [6]).

Restat ut verba aliquot enumeremus quae in avium observatione sollemnia erant: **consulere** [7]) **observare** et **servare** [8]);

1) cf. Paul. 76. — 2) Paul. 64. sv. clivia auspicia. — 3) Fortasse etiam adversae (Cic. de div. I, 16. 29.) funebres (Plin. X, 12. 34.) malae (Hor. carm. I, 15. 5.) lugubres (ib. III, 3. 61.) fuscae (Apul. met. II, 21.) in libris nominabantur. — 4) cf. Fest. 351. Cic. de legg. III, 3. 9. Plut. quaest. 78. — 5) Aliter B. M. IV, 2395. — 6) Fest. 305. Paul. 83. — 7) Liv. II, 42. Ovid. Fast. I, 180. — 8) Serv. VI, 198. Ov. Tr. I, 8. 50. Ennius ap. Cic. de div. I, 48. 107.

addicere[1]) **admittere**[2]) **ratum facere**[3]); **abdicere**[4]) **monere**[5]); **occinere**[6]). Dubium esse non potest quin haec verba sollemnia maximam quidem partem quondam in libris fuerint.

III. Auspicia ex tripudiis. cf. M. R. S. I, p. 9. et Fragm. XVI, pag. 33.

IV. Auspicia ex quadrupedibus sive pedestria auspicia. Fest. 245: **Pedestria auspicia** nominantur quae a vulpe lupo serpente equo ceterisque animantibus fiunt'. cf. Paul. 244. Conici autem licet omnium earum animantium nomina enumerata fuisse in libris quae auspicia pedestria efficerent. Praeter eas quae a Festo laudantur nominatim felium (Cass. Dio 58. 5) et soricum (Val. Max. I, 1. 5. Plut. Marc. 5) auspicia commemorantur. — Denique nescio an **propter]via** auspicia quae sunt ex coniectura Ursini apud Fest. 245. huc pertineant[7]).

V. Auspicia ex diris. cf. Serv. ad Aen. IV, 453. et M. R. S. I, p. 11.

Hue accedunt auspicia **ex acuminibus** quae tota erant militaria[8]). Cic. de div. II, 36. 77. Dein vero commemoro **peremnia** auspicia[9]) Fest. 235ª: Peremne dicitur auspicari qui amnem aut aquam quae ex sacro oritur transit'[10]). Videntur autem propterea peremnia observasse quod augurium aquae intercessu disrumpi credebatur teste Servio ad Aen. IX, 24[11]). Dein vero non dubito quin etiam ad auspicia peremnia **manalis fontis** apud Festum[12]) et **vivi** fluminis apud Servium[13]) appellatio pertineat.

---

1) Liv. I, 36. 55. Fest. 241ª. — 2) Liv. IV, 18. Plaut. Asin. II, 1. 11. — 3) Cic. de div. I, 39. 85. — 4) Cic. de div. I, 17. 31. — 5) ib. II, 36. 78. — 6) Liv. VI, 41. et X, 40. Minus recte Marq. (IV, 360.) solum de infaustis significationibus dictum esse volt quamvis de utrisque usurpetur. — 7) Quod autem apud Festum 245. piacularia atque pestifera auspicia laudantur non libris auguralibus sed potius pontificalibus tribuenda sunt. cf. M. R. S. I, 13. adn. 4. — 8) cf. Cic. de nat. deor. II, 3. 9. Arnob. adv. g. II, 67. — 9) Perperam Grosserus ll. adn. 70. peremnia inter diras refert. — 10) cf. ib. 250ᵇ. Cic. de nat. deor. II, 3. 9. de div. II, 36. 76. — 11) M. R. S. I, 22. adn. 5. — 12) p. 157. cf. Paul. 128. — 13) Serv. ad Aen. I, 129.

De **condictione** p. 30.) de **precatione maxima** (p. 18) de **invocatione** (p. 20.) de **consensione** (p. 35.) de **legum dictione** (p. 25.) etc. iam suis locis disputatum est.

Sequitur ut verba quaedam sollemnia ad augures pertinentia nisi forte iam commemoravimus in libris fuisse significemus. Dubium enim esse non potest quin verba **augurandi** et **auspicandi** in eo numero fuerint. Huc accedunt verba **sedendi**[1]) **cubandi**[2]) **augurium agendi**[3]) **lituum promellendi**[4]) templum sive locum sive agrum **effandi**[5a]) **liberandique**[5b]). Dein dubium non est quin **tabernaculorum** seu minorum templorum in libris facta mentio sit[6]). Porro adverbium **extemplo** huc refero quod a Servio[7]) quidem augurum sermoni tribuitur. Denique fragmentis librorum auguralium nomina partium templarium seu regionum adnumerare licebit quarum inter alios facit mentionem Serv. ad buc. IX, 15.: augures etiam designant spatia lituo et eis dant nomina ut prima pars dicatur **antica** posterior **postica** item **dextra** et **sinistra.**' Attamen ea quaestio difficillima est ad quam caeli partem eas appellationes pertinere censeamus. In Etruscorum quidem disciplina dubitatio esse non potest quin antica meridiana plaga fuerit. Testis est Cic. de div. I, 17. 31.: sue inventa ad meridiem spectans in media vinea dicitur constitisse sc. Attus Navius[8]). Attamen in Romana disciplina plerumque orientem versus spectantes mihi quidem auspiciis videntur operam dedisse. Testis est Servius ad Aen. II, 693: Sinistras autem partes septentrionales esse

1) Serv. ad Aen. IX, 4. καθέζεσθαι apud Plut. Rom. 22. Marc. 5. — 2) Paul. p. 66. — 3) Varro L. L. VI, 42. Cic. de div. I, 17. 32. — 4) Si recte legitur apud Fest. 253b. De lituo cf. Cic. de div. I, 17. 30. Serv. Aen. VII, 187. Gell. V, 8. (= Macr. Sat. VI, 8. 1.) Plut. Rom. 22. Cam. 32. — 5a) Serv. III, 463. VI, 197. Varro L. L. VI, 7. 33. Cic. ad Att. XIII, 42. 3. Gell. XIII, 14. — 5b) Serv. I, 446. Paul. 124. Cic. de leg. II, 8. — 6) Fest. 356b. cl. Serv. IV, 200. Fest. 157. s. v. minora templa. Verba sollemnia erant **tabernaculum capere.** cf. B. M. II, 3. 75. adn. 74. — 7) Serv. ad Aen. I. 92, Varro L. L. VII, 13. — 8) quem Etruscam disciplinam exercuisse iam supra demonstratum est p. 8.

augurum disciplina consentit.' Dein vero quandocumque auspicia captata esse ab aliqua caeli parte audimus semper ab oriente sole captata esse traduntur. Namque in inauguratione quidem augurem orientem versus sedem cepisse iam supra demonstratum est [1]). Tum imperatores ad bellum profecturos ab oriente sole auspiciis operam dare solitos esse tradit Cincius apud Festum 241.: Complures nostros in Capitolio a sole oriente auspiciis operam dare solitos' sqq. Denique etiam eos qui magistratus inirent ad orientem versos de caelo servasse testis est Dionys. Hal. antiqq. Rom. II, 5.[2]).

Attamen vero duo gravissima et luculentissima Varronis testimonia obstant quo minus in illam sententiam sine ulla dubitatione concedamus. In libro enim quinto epistolicarum quaestionum Varro apud Fest. 339[a.] sic facit verba: A deorum sede cum in meridiem spectes quod ad sinistram sunt partes mundi exorientes ad dexteram occidentes factum arbitror ut sinistra meliora auspicia quam dextera esse existimentur. idem fere sentiunt Sinnius Capito et Cincius.' Eodem redit quod Varro L. L. VII, 7. caelestis quidem templi partes ab eisdem regionibus determinat: Eius templi partes quattuor dicuntur sinistra ab oriente dextra ab occasu antica ad meridiem postica ad septentrionem.' Nemo enim facile Varronis testimonia ita explicarit ut alterum ad Etruscam disciplinam referat alterum ad caeleste templum pertinere censeat. Etenim in priore loco Etruscae disciplinae ne vestigium quidem adparet in posteriore facere non possum quin aliam caelestis templi rationem fuisse quam terrestris quam aegerrime concedam. Itaque ni alia melior via explicandi patebit id solum superest ut in comitiis habendis quae auspicia sola fere restant aliam rationem quam in ceteris fuisse suspicemur atque ita quidem ut non ab oriente sole sed a meridiana regione auspicia captasse Romanos coniciamus.

1) Fragm. XI, pag. 23. — 2) Hac rituum discrepantia luculenter perspicitur verum esse quod supra p. 7. auguralem disciplinam Romanorum ab Etruscis pendere negavi.

Quod quocunque modo se habet illud certe mihi quidem si non falsum at vero quam maxime videtur dubium quod Marq. IV, 356. hunc auspicandi usum vetustissimis temporibus adsignandum alterum autem ab Etruscis derivandum esse putavit. Immo vero si aliquem augurandi usum ex Etruria petiverunt, hunc potissimum quem fortasse comitiis adscribendum coniecimus eos inde petivisse veri est simile. Namque Etruscos quidem a meridiana plaga auspicatos esse iam paullo ante demonstravi.

B. Verba sollemnia ad ius publicum referenda.

Ac primum quidem auspicia ad **patres redire** dicuntur[1]) cum res ad interregnum redit; dein vero **renovari** seu **de integro repeti** cum magistratus propter prodigia quaedam se magistratu abdicare iubentur[2]). Denique simpliciter **repeti** dicuntur cum magistratus postquam incertis auspiciis ad bellandum profecti sunt Romam rerertuntur ad auspicia nova concipienda[3]). Magistratus autem auspicia **accipere habere ponere** perhibentur[4]). Porro comitia dicebantur **dirimi** cum aves non rite admiserant vel dirae apparuerant[5]); dein **obnuntiando**[6]) **comitia vitiari**[7]) sive **prohiberi**[8]) quod verbis sollemnibus **alio die**[9]) fieri solebat. Denique **impediri**[10]) comitia dici solebant cum aliqui magistratus cui id licebat facere se servaturum esse de caelo pronuntiarat.

---

1) Cic. ep. ad Brut. I, 5. — 2) cf. B. M. II, 1. 308. adn. 617. — 3) B. M. IV, 350. adn. 2331. — 4) B. M. II, 3. 71. — 5) Cic. de leg. II, 12. 31. Liv. I, 36. VIII, 23. cf. L. L. H. II, 462. — 6) cf. fragm. I, pag. 45. — 7) Cic. or. Phil. II, 32. 80. Messalla ap. Gell. XIII, 15. — 8) Fest. 234 b. — 9) Cic. or. Phil. II, 33. 83. de leg. II, 12. 31. — 10) Cic. or. Phil. II, 32. 80. cf. Halmium in adnot. ad hunc locum.

Vita.

Natus sum Franciscus Albertus Brause in vico Saxonico cui nomen est Spahnsdorf prope Lipsiam a. d. VI. Id. Mart. anni h. s. LII. patre Frederico Christiano matre Augusta e gente Lindneriana. Fidei sum addictus evangelicae. Anno h. s. LXIV receptus sum in scholam ad Divi Thomae Lipsiensem quae F. A. Ecksteino rectore laetissime florebat. Dein anno h. s. LXXI adii universitatem litterariam Lipsiensem philologiae operam daturus. Anno autem h. s. LXXII Argentoratum me contuli ubi ad stipendia facienda per duo semestria cursum studiorum interrumpere cogebar. Quamquam Baumgarteni scholas historicas Studemundique societatem Plautinam frequentavi. Denique rursus Lipsiam reversus scholis interfui Ahrensii Curtii Drobischii Fritzschii Ecksteini Hermanni Langii Leuckartii Lipsii Pauli Ritschelii Struempellii Voigtii Wenckii Zarnckii. Exercitationes autem frequentavi societatis Langianae et Lipsianae, fui per tria semestria sem. phil. reg. socius ord. per tria semestria sem. paed. reg. extraord. Omnibus his viris imprimis Lud. Langio et Fr. A. Ecksteino optime de me meritis gratias ago maximas.

Typis E. Polz Lipsiae.

Typis E. Polz Lipsiae.